



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Mexicana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)

PROVINCIA MEXICANA.



COMPLECTITVR Mexicana Pro-
uincia suis & Philippinarum Vicepro-
uincię sedibus Socios trecentos & 14. In
Prouincia numerantur 97. Sacerdotes,
ex quibus 46. solemnia quatuor Societa-
tis vota, tres tria duntaxat nuncuparunt: sex præterea
spirituales formati Coadiutores. Ex Fratibus verò 57.
litteris operam dant, Theologiæ triginta & vnus, Philo-
sophiæ 16. politici doctrinæ 10. Rem domesticam pro-
curant 92. Ad instituti disciplinam excoluntur in tyro-
cinio 26. Ex ijs, qui in Viceprouincia versantur, è viginti
octo Sacerdotibus, sex solemnem quatuor votorū pro-
fessionem fecere, hos in domestico ministerio adiuuant
veterani Fratres Coadiutores 14. Euocauit Dominus ad
præmia laborum quatuor Fratres. Misit in eorum sup-
plementū 18. Baccalaureos quatuor, duos Philosophos,
Rhetoricos totidem, 5. Humanistas, totidem Coadiuto-
res. Domicilia eadē, quæ superioribus annis, domus vna
Professa, Collegia 7. Sedes 4. Missiones tres, duo Semi-
naria. In Viceprouincia Collegia duo, Sedes 11. Missio-
nes duæ. Sed quæ sint in his locis à nostris hominibus
gesta, sigillatim videamus.

DOMVS PROFESSA
MEXICANA

ALIT Mexicanorum liberalitas in Domo Professa Sacerdotes omnino duodecim, qui hominum officijs, & instituto domestice disciplinae respondeant, diligenti, & assidua numerum exercitatione testatur, hominum generi nihil esse tam promptum, atque paratum in omnibus rebus, quae ad animorum salutem spectent, quam operam, curam, diligentiamque Sociorum. Freqentes ergo conciones habentur, & à Sacerdote vno potissimum, qui eam molem sedecim annos, in vrbe, nulla ferè à munere vacatione iam sustinet, tanto omnium, ordinum, & aetatis concursu, loca certatim occupantium, vt magnae multitudinis templa superfundenti, se hominum multitudinem angusta videantur. Sacrarum quoque Virginum Parthenones septem adeuntur, & pijs sermonibus ad officii rationem, & monasticae vitae retinendam, seueritatem excitantur. Aures interdum praebentur inclusis, quae iugiferis Nostrorum inuitata colloquijs, sapienter deuorata, repulsa, per assiduas Abbatissarum schedulas, Curionum, & Praepiscopi rogatu Seniores aliquos à confessionibus Sacerdotes eblandiuntur. Sed non piget laboris, & temporis in ea functione consumpti, nam cum ijs virginibus seuro Vicarij praeepto aliorum ordinum hominibus maculas animi per confessionem aperire cautum, plerumque sit, multa vitantur, incommoda; multa parantur utilitates earum, confessionibus excipiendis. In publico vrbs foro languentem otio, hominum multitudinem ad concionem, inuitare diebus, festis, vespertinis, & rudem, ac teneram aetatem Christianis praeeptionibus

nibus erudire, hospitales agrotorum domos inuisere, solennia sunt. Custodias publicas adeundi cura ab vno Sacerdote suscepta, victorum animis, & corporibus magnas peperit utilitates, corrogatis piorum elemosynis, multorum egestatem subleuauit, libertatem obtinuit, & iniuria prouocatis, ad veniam, & lenitatem, plectendis mitiora supplicia fontibus impetrauit, his charitatis officijs natus apud reos, per æque ac iudices æstimationem ac fidem, iacentibus in pædore, ac sordibus ergastuli persuasit, vt sibi peccatorum sordes, ac vincula adini paterentur, & Regios Senatores in amorem, ac venerationem sui ita conuertit, vt ad illorum egenorum aliquas lites suo arbitrio, ac sententia dirimendas, sponte reijciant. In regulis mandis dissolutis hominum amicitijs labor dissidentium animis in primis utilis, & cuius admodum gratus, frequenter postus est, impetrata, quæ intendebatur iniuriarum condonatione, & pulsa odiorum acerbitate, futura multorum causa, ac semente, maiorum. Et vt reliqua huius communis, industriæ prætermittamus exemplat Soter, & gener, nullo affinitatis respectu plus quam hostili odio discrepantes, litigium traherant auctorum, milium quinquaginta, lites intendebant, moraque, & supplicibus, vtriusque libellis tribuna, lia personabant, cum locero postulante, gener in custodia teneretur, & apud obstinatos odio, nec amicorum hortamenta, nec virorum Principum auctoritas, nec piorum hominum obsecrationes, & preces valuissent, tandem adhibeum noster Sacerdos, qui per iteratas preces, & hostias, propitiato Deo iratos iserum, ac tertio conuenit. Pacis bona, & discordie mala, perpetuam sollicitudinem, & angrem, ex mutuis inimicitijs, sempiterna quonque supplicia, que ira, atque odio pertinaciter indulgentes, apud inferos manent, idetidem proponat. Vbi iudicia in hanc sententiam disputata sunt, paulatim emolliuntur.

coces iracundiæ coeperunt, tum ad extremum Patri-
 viam componendæ litis aperiendi manus dedere, & ve-
 nia offensionum petita, in gratiam magna gratulatione
 ciuitatis rediere. Ad confirmandas migrantes è suis co-
 poribus animas accersimus frequentissimè; & quamuis
 eo exercendo munere Socijs multa passim occurrunt
 digna litterarum monumentis, exemplo dumtaxat vno,
 quod sine arcani sacramenti præiudicio fieri potest me-
 morando, contentus ero. Prædiues quidam mammonæ
 laqueis irretitus, quem aduersa valetudo prostrauerat,
 gehennæ metu percussus Socium, etsi nunquam apud nos
 animum expiauerat, infimis precibus domum accersit,
 eius videlicet familiari colloquio, tanto salutis æternæ
 desiderio exarsit, vt depulsa stulta recti verecundia, testa-
 mento præceperit hæredibus, vt præconis voce mone-
 rent, quicquid eius causa aliorum fortunis detrimenti
 venisset; id omne ex iudicio nostri Sacerdotis, & Theo-
 logi, postulantis dominis, persolutum iri cum fide.

SED inter cætera quæ ad laudem Diuini nominis,
 & bonum ciuitatis exemplum redundarunt, haud extre-
 mum obtinet locum publica hominum religio, sexta
 quaque feria totius anni, & tertio quoque die Quadra-
 gesimæ vniuersa flagris sua terga carpentium. Attulit hic
 pœnitentiæ ludus, & exercitatio eam haud spernendam
 utilitatem, vt qui studio pietatis incensi, domesticorum
 conuicijs, & sermonibus petulantium à voluntarijs sup-
 plicijs deterrebantur, his incommodis liberati, solitudi-
 ne, aut communitate nostrarum ædium, impositas à Con-
 fessario, vel sua sponte susceptas scelerum pœnās exfol-
 uant: & iam Dei beneficio in delicatorem, ac nobilium
 mores irrepsit, vt à Sacerdotibus petantur in confessio-
 nibus sibi flagrorum vsurpationem satisfactionis, & sup-
 plicij nomine iniungant.

QVAM firmum sibi suisque rebus præsidium ha-
 beat

beat mortale genus in fide, ac patrocinio calorum Regi-
 nae, cum alia testentur, omnibus saeculis diuinitus patra-
 ta miracula, tum etiam cuiusdam Matronae, quae apud
 nos sacramenta multos iam annos usurpat, praeter homi-
 num expectationem vira seruata non obscure confirmat:
 rem paucis perstringam. Honestae foeminae cuius cum eta-
 te pietas singularis in Dei Matrem creuerat foelicibus
 annis: die qui resurgenti Domino sacer est, cum nullo suo
 merito in suspicionem adulterij marito venisset, & mi-
 cantem in suum caput furentis enseni videret, desperata
 domesticorum ope, in genua prouoluta, supplices in cae-
 lum manus, & oculos tendens: Te, inquit, Coelorum Re-
 gina, appello testem innocentiae meae. Adiuuat preces fi-
 liae mater conspicata periculum, sublato clamore; sed
 praecipua ira maritus auersam toto connixus corpore pun-
 ctum iterum, ac tertio impetit stricto ferro. Illicet primo
 ictu concidit misella moribunda similis. Res mira. Mollis-
 simo rigore metalli, ac si cereus esset ensis ferreus, se flexit
 innocuo, atque infanti corpori cedens. Nec tamen furore
 caecus homo naturae miraculum sensit, durior ipso ferro,
 & uxorem exanimatam sine dubio interpretatus, praeci-
 piti festinatione ad proximum D. Francisci coenobium,
 tanquam ad asylum confugit. Ibi dies aliquot cum deli-
 tuisset, minime dubitans, quin emortuae cognatis iniu-
 riam postulantibus Magistratus de illo diligenter inqui-
 reret. Tandem a familiaribus certior fit uxorem sine ali-
 qua plaga, aut alio corporis damno viuere. Vix adductus
 ut fidem locupletissimis testibus haberet, praegaudio, &
 admiratione impos sui domum venit, & hausit oculis fi-
 dem, quam auribus capere non potuisset. Ergo cum ra-
 tionem, & seriem facti cognouisset a socio, quae flexum
 enseni stupore defixa eminus considerauerat, temerita-
 tem suam incusans, primum Dei Genitrici, cuius auxilio
 tam grande piaculum in magnam numinis laudem, gio-

riamque uotissos, sospitem uxoris uitam, & conuersam
 rerum faciem gratulatur. Deinde cum gratulabunda lo-
 quitur, & rediua coniuge socium conuenit, & ex patris
 confessione criminibus caelestis. Agni cibo se recreat.
 Creuit uxoris pietas, & hospitatrici nouos honores habere
 perrexit. Maritus uero cum solutis antea uiteret me-
 ritibus, collegit sese, & nouum cepit uitae cursum, in quo
 omne optimo uicinia exemplo, & frequenti Sacramen-
 torum uisitatione persequatur. *Monodidit in oratione
 S. O. D. A. L. L. T. I. V. M.* Sanatoris (sic enim appellat
 placuit) quod iam dudum agitabat animo. R. Petrus San-
 cius, nota probitatis senex, tandem uotis eius aduenit.
 R. P. N. coaliit hoc anno, nam ut sepe annis huius
 Prouincia litteris traditum est, postquam Pateris vaca-
 tionem a muneribus regenda Prouincia impetravit, ca-
 was omnes in externorum utilitates intendit. Sexto decimo
 ab hac anno diebus festis uel per totius familiaria col-
 loquia de Christiani hominis officio, de uirtutum ac uo-
 riorum natura, de laetis & daemnis futurae uitae, de alijs
 alijs rebus ad salutem animi pertinentibus cepit habere
 in hominum aetna frequentia. Capti sermonum uirtutes
 pernicitatis, ciues postposita, dulcedine, & spe facti bonum
 illecebra, quibus profani homines inductis festiuiorum
 dierum tempus, sine aliqua animi utilitate profudant,
 ad audienda Patris praecpta, tanquam ad amos a uarijs
 diuerticula uentifabant. Variante audit orum frequenter
 recentis spectatae probitatis, & consuetudinis uirtutis, hanc
 sui profectus documentum, semper fuisse ualles, in audiendi
 studio, & discendi cupiditate, extiterunt, ergo ut in alio-
 res in opore uita generat radices agerent, & aliquo-
 ter se in uiculis colligati in uia pietatis obirent, & ad
 uiciorum monstra, ad noua uentura nequicia, & uicinas
 iniaderant, nouissime uisum est Patris faciendum, ut uide
 stabilienda. *Sodalitate. Nostri. Paternitas. obliuiscens
 & eius*

& eius impetrata facultate, qui ad eam diem communi tantum officio, ac pietate ducti, honestis functionibus operam dabant, certis, ac proprijs legibus ad frequentiore[m] sacramentorum vltim, leuandæ pauperum inopia, carceris, & nosocomij interuolendi, atque alia in vltimos pariter, ac vita functos charitatis officia alfringerentur. Superatis igitur prospero successu difficultatibus, & incommodis omnibus, quæ ad virtutem, laudemque nitentibus inuidia communis hostis, vt impedit, aut moram faciat cupidis obicere consuevit, Sodales conscribi coeperunt, & eorum quibus aditus ad Sodalitium patuit, summa subducta centum, & quinquaginta numerum explet. Celebrat suos de more coetus, & dum illi se in exedra ad eos vltus pro angustijs, nostrarum adium accomodata ad elegantiam virtutis, & vitæ perfectioris expoliunt, seruorum colluuijs, delerta atque deposita Reip. pars, catechismo ab vno Sacerdote in conpluuiio domus non minori utilitate, seruorum, quam dominorum gratia diligenter eruditur. Deinde Socijs deducuntibus, ad Xenodochia digressi sodales, magna copia bellaria, delicata munuscula, & pecuniarum subsidia agrotis admodu[m] benigne distribuunt. Sed præcipuus, ac plenior Sodalitatis fructus colligitur e confessionibus, quibus vniuersa vitæ labe Sodalium adscribendi numero eluunt. Quidam ex eorum numero, quasi non satis putaret se Deo tradidisse, cupiebat, alios habere, & facere participes eiu[m]dem boni, igitur amicum sapienter admonet, vt relictis manibus curis, se nouo piorum coethi coniugat. Trahebat ille nihilominus moram, & largis promissis optima amici consilia eludebat: superior tamen euasit, Deo adiuuante, Sodalitatis nostri præclara voluntas, & de oblitantis opera triumphauit: nam cum ille graui nescio quo dolore correptus, remedijs in cassum adhibitis non sine vitæ periculo in lecto iaceret, occasionem libenter arripit

piens ægrotum anxium terrore mortis, inuisit sodalis, & renidens amarum: Atqui, scito, inquit, hunc dolorem tibi à Domino immissum vindicem pertinaciæ, qua dudum mea consilia frustraris; nec aliam sapere esse pacandi Nominis, & auellendi doloris viam, quam votum ineunda Sodalitatis. Vouit æger, & postera die dolore leuatus est, viribusque postmodum recuperatis, castigato vetere luxu, vti vouerat nomen dedit Sodalitati.

SED ad Sodalitia Beatorum, vt credimus, nobis hoc anno eripuit Deus fratrem Bartholomeum Larium ex eorum numero, qui priuim Mexicum nauigantes Societatem in luce nouæ Hispaniæ posuerunt. Rem domesticam architecti, procuratoris, atque alijs pene omnibus Coadiutorum muneribus spectatæ obedientiæ, ac submissionis exemplo promptus, ac libens adiunxit. Elementariorum ludis cum laude præfuit in varijs Prouinciæ Collegijs: nam fingendorum caracterum artem ita percalluerat, vt de ea re præcepta ex Geometrica proportionem condiderit, quæ elegantissimis consignata litteris vno volumine compræhensa reliquit. Sed hæc augentem, & limantem accuratiùs, fœdo lateris dolore consumptum, quinto morbi die munitum omnibus Sacramentorum præsidijs, oppressit mors, anno ætatis sexagesimo, inita Societatis quadragesimo sexto, & Indiæ peregrinationis vigesimo septimo. Cæterùm promouetur ædificatio templi elemoynis ciuium, & Illustrissimi Præregis benignitate, qui præter pecuniarum subsidia, quibus Nostrorum victum sibi curæ esse sapiùs ostendit, emendicantibus in templi sumptus argentum, aureos dedit quinque & viginti supra ducentos; nec remittit aliquid de pristina liberalitate Dominus fundator Ioannes Ludouicus de Ribera, qui vt proximis tradidimus litteris, quinquaginta argenti pondera ad conducendos fabros singulis hebdomadis erogat.

COLLEGIUM
MEXICANVM.

SEDES hic & domicilium litterarum, vnde sapientiae, & doctrinae praesidia in omnes latissimae Prouinciae partes deriuantur, Theologicis praelectionibus accessit, hoc anno tertia, quibus audiendis praeter externorum mediocrem numerum, triginta e nostris fratribus operam dant, Multiplex domesticorum exercitatio; singulis hebdomadis in triclinio prandij tempore ex amplioribus, & illustrioribus D. Thomae quaestionibus ornate, & cum apparatu aliquam a Magistro iam explicatam ad recreationem pariter, & exercitationem, ex auditoribus aliquis, labore in orbem eunte interpretatur. Praeter hebdomadarias disputationes, quae spe vberioris vtilitatis ad diem Dominicum translatae sunt, generales Theologiae actus quatuor, Philosophiae tres cum apparatu, & inuitatu Doctorum habitus sunt; nec defuit commendatio, & plausus coronae discipulorum pariter, ac Magistrorum ingenia, doctrinamque laudantis. Confecti liberalium artium curriculi quatuor, & triginta discipuli cum acerrimum Regalis Academiae Professorum iudicium de more subiissent, inuitatis laudibus ornati, & honorifico Baccalaureatus insigni, ac titulo decorati, debita suis laboribus, & doctrinae documentis praemia, & honores totius Theatri approbatione pertulerunt. Politioris quoque doctrinae studiosi sacris Reginae Sanctorum diebus, piissimae Matris laudibus, lepidissimis dialogis, elegisque celebrandis, ingenij, & eruditionis argumenta dedere sapissime. Nec studium pietatis elanguit: nam opportunitate sacelli, quod proximis

litteris

PROVINCIA MEXICANA.

litteris structum in Gymnasio tradidimus, virtutis officijs, & morum disciplinae egregie consultum est. Ad quotidianas Rosarii preces, quas Iuo Includi sacello discipuli omnes quotidie fundunt, accessit solemne sacrum, & hymnus, quo Regiam misericordiae Matrem Ecclesiam de more salutat, magno Musicae apparatus, vocum, instrumentorumque concentu suavissimo, & splendidi ceremoniarum ardentium lumine. Haec ut longioris temporis essent, & si fieri posset, ad posterorum aetatem pertinerent, ex universo discipulorum corpore aptissimi quique, qui in id nomen sponte sua profiteri vellent selecti, ut in eodem gymnasio missio auditorum cœtu musicae ymuerſae præceptis à peritissimo coryphaeo exercentur. In eam rem tanto certamine animorum discipuli incubuerunt, ut iustus plane chorus scilicet, & expedite, & quod in tenera aetate commune est, mira vocum suavitate, placentium, paucorum mensium labore coierit. Itaque cum ad sacrum accedendum est, dum Sacerdos sacrificans induitur vestimentis, missio per classes monitore, cantores primum in eadem sacelli vocantur, deinde Rhetores compositor, in omni modestia argumentum, totius corporis habitu, silenti agmine accedunt, ceteri deinde auditores ordine classium diligenter observato sequuntur. Grates habendae sunt Deo, qui piis Nostrorum contentiones tam frugiferas esse voluit, ut in trecentis & quinquaginta humaniorum litterarum studiosis neminem inuenies qui procacia, & licentia morum, aut lasciuioſiore cultu à Magistrorum præceptis discedat.

LA M. verò de Pärtheniana Sodalitate, quae alumnos numerat probatae virtutis, & maturitatis prope seniscentum, & quinquaginta longum esset enumerare quantae prodierint documenta pietatis, nec enim repetenda sunt periculo gignenda fatietatis. Xenodochia intermissa frequenter, refociliatos benigno sermone, & cibis delicatiori

catioribus morbo correptos; celebratos coetus; sortitò
delecta Sanctorum patrocinia mensium initijs; habitam
comprecationem vnius diei ante Eucharistia; pixidem
solemnibus ferijs Sacramenti; voluntaria verberationis
supplicia ingenti animorum ardore obita; quadragesi-
mæ tempore; quarum laudum maiorem in partem vene-
re Philolophi, qui vepore à teneris annis in ipso sinu, &
disciplina Sodalitatis educati, nec florētis ætatis efflu, nec
libertatis dilectudine ab eo, quod pueritiæ ænis corripuere,
arcto virtutis itinere deduci potuerunt, vades in teneris
iuxta effata sapientum, consuescere multum est. Sed non
est silenda Sodalium religio, qui vt pluuiam à cælo inter-
euntibus siti, & æstu segetibus impetrarent; in delubrum
integra ab vrbe Ieuca sanctum miraculis, & patrocinio,
ac nomine Dei Genitricis venerandum, supplicantes iere,
& cereas quas præulerant, faculas, pietatis Matri cum
obtulissent; Angelorum conuicia, magna populi com-
mendatione, celebrarunt.

P A V I T singulari quodam euentu clementissimâ
Mater alumnorum studijs, & quas pius adolescens cor-
poris poenam, atque molestiam in eius obsequium di-
bens susceperat, illi vicissim in salutem, & incolumitatem
corporis adolescenti obuertit. Paucis complectar. Alum-
no disciplina nostræ oris, corporisque totius dignitate
conspicuo, vt est illecebra inhonestæ libidinis formæ
pulchritudo, mulier turpi eius amore capta, blandos lu-
xuriæ laqueos tetenderat, stimulos, & præces admonue-
rat, sed Deo protegente omnia castus adolescens forti, &
constanti animo repudiauerat, ergo vbi impudica turpi
spe delectam se sensit, repulsæ impatiens, & dolore fu-
rens, necem adolescenti machinatur: venenum parat, ei-
que medicata saccaricondimenta in delicias officij, &
amatorij muneris simulatione mittit: admittit impru-
dens specie retinendæ urbanitatis: sed quamuis minuscu-
la pla

la placuerant, & gulæ sensus titillabat, memor pietatis qua eius diei ieiunium in honorem Dei Genitricis tolerare consueuerat, irritatæ iam cupiditati moderatus, uenera in penum dat, postera luce repetenda, ea cum dimisisset hypotrimmata à promo, reposcit, inferuntur statim, sed olida, vitiata, & vermibus scatentia comparent: tunc demùm fraude comperta & detectis insidijs, respicit adolefcens, & se morti Dei Genitricis ope ereptum agnouit, & ut illi debita gratiarum officia ritè persolueret, Sacerdotem à confessionibus adiit, apud quem lachrymis, & confessione cum iam delicta diluisset, ad immortalitatis epulum accessit, tanto deinde periculo vitæ sapientior factus, maiorem cautionem suis consilijs adhibuit, ac ne in dæmonum præcipitetur insidias, acriter vigilias intendit, & ieiunijs, ac precibus præsidium Dei Genitricis implorat. Sed alij, quoniam nullam tutam stationem, omnia insidijs, & laqueis plena inuenère, relicta dulcedine libertatis, in munitissimam religionis arcem dedère sese. Cæterùm ne discipulis, & eorum parentibus petendis aulais, atque tapetibus ad ornandum celebritatis cuiusque apparatus incommodetur, varijs picturis, & signis exornando sacello, sacra augenda suppellectili, parando pneumatico organo aurei insumpti ferè quingenti à ciuibus erogati. Ciuitatis præterea Senatus ex iussu benignissimi Proregis largas aquas subterraneo meatu in atrium Gymnasij publica urbis impensa deduxit.

RELIQVIS muneribus Societatis exercèdis, quantum per scholasticas curas licuit, in Collegio commorantibus, tantùm in procurandis animorum utilitatibus positum est, nam in frequenti urbis regione, & à Professorum domo longo interuallo distita excusari non potuit, quo minus Sacramentorum auxilia, & aliquarum concionum solatia assiduè postulantibus præberemus. Quare si concionum frequentiam demas, cætera habet

siq. et

Colle

Collegium communi cum Domo Professa, pari animorum utilitate. Eorum qui generalem confessionem obierunt summam haud promptè subduxeris. Vincis in custodia publica non solum exhibita animorum vberima paucua concionum, sed corporum etiam amentia ministrata, in quo munere Icho. aluci fratres egregium dedere humilitatis, & charitatis doctrinam: cum laceris, & viuis seminamicti tuniculis, alij grandem ollam carniū, alij sportas pane refertas vincis inferrent, alij ex fonte publico sublatis in humeros amphoras aqua arentibus siti conueherent. Gratiarū recōciationes fuere frequentes, sed opulentos inter cognatos duos fuit vna praecipua, qui naturæ foedere, ac sanguinis communiōne contempta, ita animos odiorum acerbitate efferauerant, vt ne ad amicitiam reducerentur, ad Sacerdotis genua at nos plures duodecim non accessissent; sed ideo adiuuante Sociorum valida suasiōe, quod vehementer admiratus est populus, in mutuos ruerunt amplexus, & cum irarum seminibus noxas vniuersæ vitæ posuerūt. AETHIOPICÆ gentibus, tardis videlicet Hispanorum mancipijs, & quod ab omnibus, qui animorum curam profitentur, plerumque deferantur in magna diuinarum rerum ignorantia, & turpitudinum coeno iacentibus, tradita sunt praecipua concione vberius explicata rectè viuendi praecepta in templo Nosocomij Dei Genitricis; ibi enim cum Sodalitium habeant, bis mille & quingenti, atque his plures AETHIOPEs conueniūt diebus Dominicis Quadagesimæ, & vt excitentur barbarorū studia, data est opera hoc anno, vt pueri AETHIOPICA soboles numerosa cogantur in nostras Aedes, vt inde composito agmine ad destinatum concioni locum religionis elementa concinentes progrediantur.

HABVIT exitum scholasticorum inuentum, & effusam commendationem, nō solum in hominum vultu,

sed etiam apud Præregem Illustrissimum, & sacrae fidei
 Quæsitorem, qui ab speculâ fenestra religiosi agminis
 apparatus iucunda voluptate spectant. Cōspiciuntur
 in ea supplicatione Socij duodeni, aut quatuordecim; alij
 vexilla serica Sodalitij præferentes; alij tintinabulorum
 pulsu ignauam, & male feriatam multitudinem cogere-
 tes; alij verba præcunt; alij etiam tuentes puerorum
 ordinem; sodalitij primores adiuuant cum scipionibus
 inauratis, hinc inde cursantes. Pueri priores incedunt,
 deinde virilis sexus, mancipia sequuntur, postremum clau-
 dit agmen confertus mulierum globus, submissa voce
 preces ex sacris corollis, quas digiti moderantur, cum si-
 gnificatione pietatis exigentium, atque ea rursus pompa,
 qua nunc non eadem via, peracta concione agmen do-
 mum reducitur, & utrobique pueris explanatur cate-
 chismus, ut informata tenera ætas in Christianæ do-
 ctrinæ præceptis ipsa se postmodum confirmet robore
 pietatis.

IN extrema etiam Urbis regione spiritualis opis ma-
 ximè indiga, fructuosa extitit scholasticorum industria,
 qui facta puerorum manu vias omnes circumeuntes cū
 cantu Christianæ doctrinæ, cœperunt hoc anno torpen-
 tes otio hominum greges suis ædibus excitare, & in tem-
 plum Montis Serrati, cui Doctor Theologus alumnus
 nostri gymnasij præsidet, magna frequentia deductos
 Christianis præceptionibus imbuere, & si eas partes non
 sibi desumat Parochus concionandi peritus, è suggestu
 ad peccatorum detestationem, & virtutis amplexum
 hortari, quæ officia à duobus scolasticis ingenti hominū
 utilitate præstantur: in Nosocomio suburbano, quod
 Desertorum appellant, & in nostro templo diebus sab-
 bati vespertinis in concione discipulorū narratur exem-
 plum veteris historię, & illice varietatis inuitati ciues
 quoque ventitare cœperunt, nec dimituntur ij, perinde
 quam

quàm illi vtilitatis expertes, cùm in perorationem consequatur detestatio antea vitæ salutaris, & ad deponenda peccatorum onera concursus poenitentia.

CLAVDAT huius Collegij res gestas mors optimi Fratris Francisci à Vila Regali, quem matura sua virtus, annis pariter, & rectè factorum meritis plenum, in sedes, & gaudia transtulit Beatorum. Natus est in oppido Toleranae Diocesis (Madridegium vulgus appellat) & antequam nomen Societati daret solertem aliquot annos nauavit operam Scribæ regij Senatus Granatensis in munere amanuentis, donec audiendis concionibus Patris Baptistæ Sactij, clari per ea tempora Euangelij præconis, consilia in melius retulit, & spes fallaces, atque incerta vota valere iubens, ad religiosæ militiæ stipendia, & signa nostræ Societatis se contulit. Per acerrimâ deinde tentamenta seruilis agationis, & banuli ministeria probatus, præclaræ virtutis exemplis Montellano Collegio relictis, septimo anno, iussu P.N. Francisci Borgiæ, Præpositi generalis ex Boetica Prouincia Floridam profectus est. Sex annos in ea regione per quotidiana terræ, marisque pericula, summam rerum omnium egestatem, inter frequentes barbaræ Gentis insidias, & internecina odia traduxit. Inde superiorum nutu in has Mexicanæ Prouinciæ regiones secunda nauigatione delatus, ordinis sui partes, & numeros omnes cumulatissimè expleuit. Quare plerosque annos in probationis domo retentus est, vt tyronibus excitamento esset, & exemplo totius probitatis. Etenim contemplationis studio, & assiduitate precandi prope ad miraculum exellebat: septuagenarius homo, laboribus, & supplicijs voluntarijs exhaustus, ternas ferè horas temporis matutini, in genua quidem abiectus, pijs commentationibus immobilis perseverabat, liturgiæ sacris quibus poterat omnibus, in eam pietatem vultu, & corpore toto composito, quæ

intuentium animos sensu religionis afficeret, sine intermissione vacabat. Vespere autem præter vocales preces, & conscientia recognitions, horam vnam, atque dimidiam orationi iterum incumberebat, quam intendentibus se tenebris in cubiculum secedens ad multam noctem extrahebat genibus nixus. Rursus plenioris noctis tempora ita plerumque ducebat, vt primæ (quod aiunt) vigilia capto somno debilia membra cum recreasset, ad diuinos iterum congressus, nouo capto impetu rediret, & cœlestibus percipiendis delicijs quatuor ipsas horas insisteret. Cum olim Tepotzotlanæ Domus probationis procurator esset, & stipis colligendæ causa per latifundia, & prædia vagaretur, in deserta, & squalenti sarpus agri planitie oppressus nocte, ita laboris itinere fatigata membra reficiebat. Aridi panis fragmentum, quod in peram indiderat, & pallium tribuebat viæ comitibus alumnis contubernij, quos eo potissimum nomine secum ducebat, vt paganos obuios Catechismo informaret; ipse verò submissis genibus in oratione ad multam noctem vigilabat donec ingruente somno necessitati paulisper cedens, in saxum cervicalis instar recumbens, fractos labore artus modico sopore refocillabat. Tempore quo Mexici præfuit Indorum Collegio, conspiciatur frequenter in xisto attenda animi cogitatione defixus, & abstracto à sensibus non absimilis, longo intervallo consistere, vel in superiori ædium parte, elatis in cœlum oculis, manantibus lachrymis nocturnam siderum speciem, eodem prorsus vestigio insittens tacite contempleri, vt vel ex habitu corporis facile quiuis intelligeret, quanta spiritus dulcedine rerum omnium conditori optimus senex coniungeretur. Non est omissenda pietas illa singularis, qua nascentis Domini memoriam recolebat: Felici enim nocte Natiuitatis obseruarunt Socij aliquando, eo tempore cum reliqui cubitum disce-

ferant,

serant, Franciscum ad iumentorum stabulum sensim obrepere, pileum in præsepio iuxta aliquot iumentum collocare, linteoque opertum paleis rite substernere: deinde contemplationi tanti mysterij deditum, superfundentis se lætitiæ cœlestis magnitudine, quasi manus aliquid concepisset, quam pectore posset continere, in dulces gemitus, suauem complorationem, & accensa diuino amore colloquia prorumpere crederes hominem, non in mente fingere, sed oculis intueri præsentem pannis inuolutum infantem, & trementes frigore tenellos artus. Assiduitate flectendi genua obduxerat tanta duritiæ callos, vt quo aliquem doloris sensum etiam dum precaretur exciperet, aut durissima tabula, aut prominentium clauorum capitibus inniteretur frequenter. Ter singulis hebdomadis ad diuinas epulas accedebat, nec quisquam auidus cupidiarum, structis oppipare mensis tanta cupidine inhiat, quanto animi desiderio, & charitatis impetu ad diuina celebranda conuiuia Franciscus ferebatur. Ergo ex tam familiari consuetudine, & conuictu in eum Christi D. amorem euasit, vt nunquam de eius laudibus conticesceret; hoc erat initium, hic finis, & scopus sermonis, domesticos, & externos cuiusque ætatis, & ordinis, verbis saluabat, quibus Iesum Christum humanæ salutis vindicem laudibus efferret ipse, & vt reliqui efferrent, mira arte perficeret. Contubernij pueros IESV Christi laude excitabat à somno, & in ea sine intermissione repetendæ quadrantem horæ, qui vestibus induendis, & componendis lectulis tradebatur, non sine admiratione audientium continebat. Urbem circuire, & conditos in vincula intemere consueuerat, ferebatque secum capsulam refertam schedulis, quas suis horis ipse Sanctorum nominibus conscripserat, & loco sententiæ, *Laudetur D. N. IESVS CHRISTVS* apposuerat: has ille obuijs quibusque donabat, & ad impetranda Sanctorum præsidia, & aucto-

rem nostræ salutis sine fine laudandum hortabatur. Tam
 tam in IESU CHRISTI appellatione, iteranda
 hauriebat animi suauitatem, vt cum domesticis, & secu-
 laribus amicis orationu in pignore certaret, spiritu, & re-
 spiratione in collaudatione Christi diutiùs retinendis, in
 recensendis præterea Sanctorum nominibus, quos præci-
 puo cultu venerabatur, recitandisq; fidei capitibus, &
 reliquis Christianæ vitæ rudimentis: frequens Christi D.
 præconium interseribat, vt non tam Sanctorum opem
 postulare, quàm Beatas illas mentes ad encomia Christi
 celebranda prouocare videretur: nec tamen diuturna
 consuetudine effecerat, vt ex animi conatu, & attentione
 aliquid minueretur, & specie tenus in ea verba formato
 vocis strepitu, pia Christi mentio in aures insonaret; sed
 vocis sonitum vehemens affectus animi comitabatur,
 quo verba illa in audientium animos demittebat, & scin-
 tillas diuini amoris interdum etiam ex silice profani pe-
 ctoris excutiebat. Quare etsi apud omnes ordines ma-
 gnum sanctitatis nomen sibi pepererat, sola Christi lau-
 dandi consuetudine dignoscebatur à ciuibus, propria ap-
 pellatione videlicet antiquata. Ceterorum quoque Regi-
 nam, & illibatum eius conceptum, mirum quanta religio-
 ne, & pietate coluerit: cum Christum collaudabat, ad-
 iungebat (propter purissimam, & immaculatam B. Virgi-
 nis conceptionem;) & Rosarij loco hoc gratissimum a-
 croama; Præibat ille pueris contubernij, tanta spiritus
 contentione, vt via prætereuntes audirent, & laudarent
 vehementer optimi senis studium, nec mediocriter ad-
 mirarentur, id ætatis hominem tantam vocis contentio-
 nem posse perferre. Semel in hebdomada canebat elata
 voce prudentibus socijs salutationem Angelicam, & ni-
 hil erat tanti, quod hominem ab ea religione posset auer-
 tere. Mirati sumus sæpenumero, grandem natu virum, fra-
 ctum itineris eo die confecti defatigatione, fluxa, & arida
 membra

membra trahentem, in triclinium perreptare, ut illud pietatis officium Virgini percolueret, ac pedes deinde Sociorum submissè ocularetur, eamque pietatem adeo combiberat animo, ut desperatus à medicis, & morri propinquus sollicitè quæserit aliquem, qui illud obsequium suo nomine præstaret Beatissimæ Virgini, & gratias egerit prolixè Sacerdoti in id suam operam, & industriam profitenti. Quæ Francisci in Redemptorem mundi, & eius Matrem Sanctissimam egregia imprimis charitas, eò pluris erat facienda, quò magis erat cum aliorum fructu & utilitate coniuncta. In tanto enim contemplationis ardore nequaquam habuit spiritum solitudinis, & vni sibi vacantem, sed Diuini obsequii augendi cupidissimum, ac mirè studiosum salutis, utilitatique communis. Exhibat in forum, & publicas vias sæpenumero, & obuia vilissima quæque mancipia peramanter amplexatus, uti secum IESVM Christum, & Virginem Matrem collaudarent, magno ardore animi adhortabatur: deinde Christianis institutis homines informabat, plerumque rei inexpectatæ visendæ studio superfundebat se vndique hominum multitudo, non solum ex infima plebe, sed etiam ex prima nobilitate, & curialis Templi Canonicis dignitate præditis, qua ille inuitatus frequentia, nihil hominum auctoritate deterritus, apparatu quidem nullo, sed ordine, & prudentia singulari de diuinis rebus ad coronam dicere, deterrere homines à vitiorum foeditate, ad eluendas conceptas animo sordes, & studium æternæ beatitudinis incitare pergebat, & concionem retinebat tanto orationis impetu, tanta in omni gestu, habitu, & significatione pietatis, ut peritissimus quisque rerum æstimator, hominem sanctitate præstantem Franciscum prædicaret; alij defixis in terram oculis, & crebra haurientes contrito corde suspiria, ad quærendos Sacerdotes confitendi causa discederent. Hoc quidem ter, quater-

que vno die per officinas, & porticus opificum facitare senex cōsuevit: at in perugilijs festiuorū dierum inuſitate celebrata sine comite, grādi, & attrito opertus galero, in destinatū ſolemmitati locū veniebat, inferebatq; ſe frequentioribus hominum cōribus, ac primum *Chriſtus Dominus laudetur*, iterum, ac tertio elata voce repetitū, vbi in ſe conuerſos hominum oculos, & ora videbat, ardenti vultu, acri, ac vehementi oratione conferentiam multitudinem plebis, ad cultum Dei, ſtudiumque Religionis, ac pietatis inuamabat: eumque exitum p̄ Franciſci conatus habebant, vt perditæ, ac proſtigatæ vitæ homines, qui per iocum ludibundi conuenerant: laſciuioresque mulierculæ, quæ eorum dierum ſanctitatē ad licentiam, & libidinem abutuntur, poſita repente procacia, tristes, ac ſua delicta deſtantes, ad audiendas veſpertinas preces cum pietate, ac religione templum ingrederentur. Hæc & alia, quæ breuitatis cauſa prætereo, in Numinis gloriam, & animarum ſalutem non minore laterum, & vocis contentione, quam ſpiritus ardore, ac vehementia cū geſſiſſet, optimus ſenex, domū humilis, ac ſibi deſpectus redibat, alto ſilentio premiens prædas, quas egerat animum, nihil de conſueto orandi labore remittebat: aut in cibatu, potuque, aut lecti molliæ aliquid adhibebat, quod afflictæ carni leuamen poſſet afferre. Nec ſolū hominum animos Chriſti ſanguine redemptos enixè adiuuabat: ſed in corpore etiam, quantum in eo opis, & auxiliij poſitum erat, id omne, vel ad ſolamen eorum, vel ad valetudinem, aut ſtipem quotidianam libentiſſimè conferebat. Aquarum penuria cum nexi in cuſtodia publica laborarent, ditiorum domos obuiit, obſeratas multorum aperuit ſuis monitis arcas, pecunias excuſit, vt lixæ ad conuehendas aquas carcere incluſis conducerentur: nec ſemel ipſe iuncto ad plauſtrum aſino pergrande dolium in publico fonte inter
proca

procacé lixarum turbam implebat aqua; & per opificiū,
 ac mercatorum ora sæpè concursans, asinum aut virga
 ciens, aut capistro deducens, optata aquarum subsidia
 compede propeditis inferebat. Iam verò in ægrotos, &
 grauter affectos quanta fuerit Francisci charitas, & pia
 commiseratio non faciliè exequar. Sanè Angelopoli pe-
 cuario puero Indici generis tabifico viperæ morfu crus
 miserandum in modum intumuerat, & scedè, atque a-
 trociter postmodum exulceratum purulentâ sanie ma-
 nare cœpit: vlceris sceditas, & grauitas odoris tanta
 erat, vt non solùm natura, & vsu delicatos, sed curandis
 ægrotis, & tractandis eorum sordibus obduratos offen-
 deret: munitus tamen Christi, & proximorum amore
 Franciscus, omni fastidientis animi mollitie victa, misera
 lue, ac tabe deformato puero, eò impensius ministrabat,
 quò magis ad eius aspectum animus exhorrebat. Quare
 D. Catharinæ Senensis, & P. Francisci Xauerij exemplo
 non solùm languenti cum alacritate, & diligentia præsto-
 aderat, sorbitiunculas sua manu præbebat, fomenta vl-
 ceri applicabat, sternebat lectulum, manantes sanie fa-
 scias lauabat, auertebat sordes, sed marcidam quoque
 cicatricè singulis penè diebus, egregia sui victoria lam-
 bebant. Hoc charitatis excellētis specimen puer alioquin
 vel ad suos dolores leuiter indicandos, consumptis viri-
 bus pene mutus, repente disertus factus, sine fine prædi-
 cabat. In Mexicano etiam D. Gregorij Collegio puerum
 Sinam scdâ, & contagiosa corruptum lue, separatim à
 consortio, & congressu reliquorum, in remoto cubiculo
 noctu adibat, & omnibus charitatis officijs recreatum
 materno prorsus amore arctè complexatum vlnis, in-
 credibili benignitate fouebat. Sed in reliquos ad eò pla-
 cidus, & benignus sibi soli infensus, & iratus socordiam
 suam, atque ignauiam in exuendis animi cupiditatibus,
 dandisque peccatorum pœnis frequenter incufabat.

idè non mediocre certamen superioribus cum homine
 erat, vt sibi parceret, & aliquid arati condonans paulu-
 lum de quotidiana vitæ asperitate minueret. Verrenti-
 bus domum pueris adiungebat se vilissimi & laboriosi
 ministerij comitem saepenumero, haud sine leui exhausti
 corpusculi defatigatione, quippe vt scopis pavimentum
 attingeret, corpus flectere, & incarnare necesse erat. Fri-
 gore saeuiente summo mane faciem, & manus lauabat,
 nec abstergebat linteo, sed in peruium ventis locum
 egressus frigori se, & gelidæ aquæ torquendam præbe-
 bat. Cibi somnique parcissimus erat, & conciliatricem,
 somni, lecti mollitiem magna cura vitabat, funiculis,
 quibus culcitra intersuitur, vetustate ruptis lana omnis
 in latera discesserat, inanis, & vacuus in medio remanse-
 rat sinus, in hoc ille capturus somnos cubabat, duplici
 videlicet duntaxat pertenui linteo duræ tabulæ super-
 addito. Eius vitæ iam functi inter nudandum corpus
 oriëntis vibicibus aratum apparuit. Paupertatem verò
 adeò dilexit, vt matrem, vt in cubiculo nec mensam, nec
 sebellum, aut sediculam aliam, atramentarium, forfices,
 nec aptandis calamis gladium haberet, eum aliquid scri-
 bere necessitas aut officij ratio cogebat, instrumenta
 ab alumno Collegij precario mutuabat: multos annos
 priuatum libellum habuit nullum ad priuatos vsus, sed sa-
 cræ lectioni ex instituto daturus operari, Bibliothecam
 adibat; vestibus adeò obsoletis, & attritis utebatur, vt
 meliores quærendæ fuerint, quibus opertus humo con-
 deretur, nec peiores in toto Collegio comparuerint.
 Obedientiæ verò, quàm maximè ad perfectionem com-
 pendiarium viam esse dicebat acerrimus, & vigilantis-
 simus custos. Ab omni cupiditate, & animi propensione
 solutus, ac liber ex vna tantum Superioris voluntate, ac
 nutu pendebat, & eorum mandata cæco mentis, & ra-
 tionis obsequio promptus, & alacer exequatur, &
 cum

cum eos tanquam Christi vicarios, & Diuinæ voluntatis interpretes obseruaret, non solum consiliorum participes, sed auctores etiam, moderatores, & arbitros esse volebat. In earum virtutum decora intentiore animi conari in dies nitenti optimo Seni finis tandem laborum obrepfit: Ianuarij octauo die ex perpetuis laboribus, & vigilijs exitialem morbum contraxit. Sensit statim vltimum sibi diem peregrinationis appetere; totius vitæ confessionem, quam sæpius fecerat, ingenti doloris significatione repetijt, mortem ita despiciatui, imò summam votorum habuit, vt medico desperanti, & ineuitabilem ex vita migrandi necessitatem denunciati, placido, ac sereno vultu responderit verbis, quæ in ore frequenter habebat, *Christus Dominus laudetur*, eisdemque verbis fidei capitibus, & Sanctorum appellationi interserendis, & assiduis colloquijs, quæ cum domesticis triumphans gaudio miscebat, haud dubiè testabatur quanta lætitiæ voluptate eius animum perfudisset nuntius mortis imminenti, quippe qua aditum sibi ad optatos Christi D. amplexus, cuius visendi cupiditate flagrabat, patefactum iri sperabat: quas inter spes, & vota IESV Christi nomen perquam suauiter inuocans Ecclesiæ omnibus instructus præsidijs, tandem se relictis in terra non leuibus vestigijs suarum virtutum, in cœlesti luce collocauit anno ætatis septuagesimo, Societatis quadragesimo, formati Coadiutoris vigesimo quinto. Funus eius procuratum est non magna ciuium frequentia, propterea quòd hominis ægritudo, & obitus ad paucorum aures peruenerat. Sed Indi, quos funebris æris campani pulsus admonuit, funus cum lachrymis, & cereorum lumine profecuti sunt, & Principes viri Hispani nominis, ante eius feretrum genibus nixi preces suas apud Deū Francisci deprecatione adiuuari effusè flentes postularunt, pedesque ac manus defuncti reuerenter exosculati, clam nobis

nobis vestis frustula abripiere, quæ absentes omnium ordinum ciues enixè rogarunt: ac tanta cœperat homines Francisci reuerentia, vt ex his, qui vestimenti particulas secû pietatis causa subdlexerant, quidam religione tactus antequam frustulum in pectus demitteret, Sacerdotem confitendi gratia conuenerit, affirmans impium, & sacrilegum esse peccatorum maculis pollutum secum gestare aliquid, quod tanta morum innocentia, & vite integritate præditus homo tetigisset.


ÆDES SANCTI
GREGORII

QVAE superioris anni litteris tradidimus de assiduis concionibus in æde D. Gregorij, diebus festis, & secunda quaque feria, vel in nundinario foro Iouis diebus, Aduentus, & Quadragesimæ tempore, deque frequenti poenitentium numero toto anno, & de castigato Bacchanalium luxu, & infania, habendis per eos dies concionibus, & S. Eucharistia pyxide apparatu, & splendore luminum in conspectu hominum reponenda, eadem hoc anno past animarum utilitate, & Sociorum contentione facta intelligantur. Nec est cur iterum reperamus quæ diximus sæpenumero de puerorum educatione, de Sodalium pietate in refouendis ærotis, excipiendis lauto conuuiuo ducentis pauperibus, stipem precario quærentibus, Paschalibus videlicet, Spiritus Sancti, & Nataliis Domini ferijs; & usurpandis Ecclesiæ sacramentis.

INSTITVTVM est hoc anno Sodalitium ex partibus conuenis, & peregrinis, qui Parochum in Vrbe Mexico habent nullum, eo maiori commodo, & opportunitate

nitate, quòd ij plerumque Hispanorum commercio, & consuetudine ad humanitatem, & morum elegantiam perducti, honesti, & decori specie capiuntur. Habent iam ex instituto Sodalitatis, quæ ab Annunciata Virgine nomen sortita est, solemnes, & statos de more coetus, sacellumq; pulcherrima tabulâ eiusdem mysterij conspicuum, serico peristromate liberaliter exornarunt. Atrium vbi conciones habentur Dominicis diebus ieiunij maximi grande desuper tegete ex paleis in procliue dispositis opertum, tanto studio Indorum suam in id operam conferentium, vt paucis diebus opus ad exitum peruenit, & quod alioquin nummorum sterisset millibus quinquaginta, hominum libertas fecit, vt millibus absolueretur nummorum viginti: ea verò quæ in sacros usus erogata sunt, aureis æstimantur pluribus mille quingentis.

SEMINARIUM
DIVI HILDEFONSI

NDECIM Sociorum curis, atque vigilijs decem ultra centum adolescentes Hispanæ nobilitatis accenduntur ad studia ingenuarum artium, & ad sobrietatem, & honestatem morum in primis animantur, & constitit in omnes partes yberrimus nostræ fructus industriæ: nam in omnibus litterarij certaminibus, præsertim in examine Philosophiæ primas tulere omnium iudicio Seminaristæ; nec defuere, qui Philosophiæ, & Theologiæ Professorum laborem docendi per æstiuos calores intermittentium in Regali Academia vices scienter obierint: quatuordecim relicta commodorum affluentia, vt Christum rebus
omni

omnibus expediti sequantur, pauperem Religiosorum vitam amplexi sunt, ex quo numero sex ad nostra signa venere, & plures nomina profitentur, citò stipendia facturi.

COLLEGIUM ANGELOPOLITANVM.

DECEM Sacerdotes in excitandis ad pietatem Hispanorum animis, erudienda iuuentute, & Indorum salute procuranda, solita officiorum frequentia versati sunt. Habita sunt in Gymnasio, quibus ad studium litterarum, & virtutis accenderentur discipulorum ingenia, Scholarum exercitationes, in grauisimo Episcopi, & doctissimi cuiusque viri confesso, consequente auditorum omnium admirum ratione grata, vt plausus, & approbationes indicarunt. Habet hic Magna Mater suos alumnos, complures ex discipulorum numero, qui studio, & sedulitate certantes Confessionis, & Eucharistiae sacramenta frequentant; hospitales domos frequenter adeunt, egentes, & morbo decumbentes verbis, & ope reficiunt, ex quorum coetu nonnulli ad religiosae vitae seueritatem traducti, in ea optimo pietatis exemplo, & Magistrorum commendatione perseverant. Sacrarum verò concionum, praesertim forensium maxima utilitas extitit in adducendis perditae, ac profligatae vitae hominibus, ad repetendam antea vitae memoriam, & eluendas animi sordes, salutari scelerum confessione. Excussa quoque ab iratorum pectoribus odia, & ad concordiam reuocati, qui acceptis, illatisque vicissim iniurijs in mutuam necem pertinaci odio animos efferauerant. Ex hoc fiat coniectura

cate

exterorum. Hispanus quidam paruum certamen in quo
 rei familiaris, & honoris damnum accepit, adeò imbibere
 rat animo, vt iuramento se obstrinxerit, non antea ca-
 pitis, & barbæ, atque adeò ipsius animi squallorem, &
 sordes deponere, quàm inimico de medio sublato, acce-
 ptam iniuriam obliteraret. Iam duos annos circiter, &
 dimidiũ in vesano, ac peruicaci consilio traduxerat, cum
 certior factus, inuisum sibi caput Angelopoli per eos
 dies agere. Rursus in ediam vouens, quoad nefarium fa-
 cinas patraret, odio, atque ira percitus implacabili,
 continuo vnus diei, ac noctis itinere duas atque viginti
 leucas emensus, Angelopolim omnino ieiunus peruenit:
 ergo maturè comperto destinatum sibi ad necè homi-
 nem in foro negotij causa versari, eò cum expedito sclo-
 po pergit infestus, obstinato in ea sententia animo, vt
 hostem, etiam si in templo reperire contingat, explorato
 repente sclopo, plumbea glande trajiciat. Illo forum
 circumeunte, & attentis oculis, atque animo omnia col-
 lustrante, ecce tibi de more Socij cum agmine puero-
 rum religionis elementa moderatè canentium, post ex-
 plicata Christiana præcepta, concionem habituri Opifi-
 cum porticum ingrediuntur, haud dubium irato fuit
 tantopere sibi expeticum ad mortem hominem cum re-
 liqua negotiatorum turba concionanti adfuturum: mi-
 ro enim peregrinorum studio huiusmodi conciones au-
 diuntur, vt sæpè earum cupiditate, quamplurimi ex op-
 pidis tertia ab vrbe leuca circumiscentibus conuenire
 dicantur. Itaque ratus præclaram sibi oblatam rei per-
 faciendæ opportunitatem confluentium ad concionem
 piorum coetui simulato consilio sese subiungit, interse-
 ritque. Sed Deus natura sua munificus, & nullis sæpè me-
 ritis prouocatus, opes suæ benignitatis effundere solitus,
 hominem, qua via minimè putarat, ad saniora consilia
 reuocauit, priorem detestatum. Nam cum Sacerdos no-
 ster,

ster, in alium scilicet scopum iaculatus, prò concione carperet ineptum eorum pudorem, qui ab aperiendis in confessione peccatorum maculis verecundia detererentur, ac blanda rursus, & miti oratione prouectus efferendæ Diuinæ miserationis magnitudine auditorum animos erigeret, lapideum hominis pectus sic emollit, vt lenita paulatim ferocia, primùm subita spiritus dilcedine intus affici, & immutari coeperit: deinde antea vitæ piacula salutari detestatione damnare, & neglecta multoties promerendæ diuinæ miserationis opportunitate, sapius ingemiscere, nec piura dimissa concione, Sacerdotem ad ædes nostras prosequitur, & ad eius tandem genua prouolutus confessionem orditur à prima pueritia repetitam tanta singultuum, ac lachrymarum procella, vt linguam soluere, & vocem in verba formare vix posset. Hominem, cuius necem antea machinabatur quæsitum, in amplexus, & amoris officia, discedit: nec antea partem aliquam coepit quietis, cibi, potusve tetigit aliquid, quàm hominem affecutus: eo pacto pœnas iniuriæ ab illo repeteret, vt ea videlicet liberaliter condonata, & in genua abiectus veniam multis verbis cogitati facinoris precaretur. Addidit verbis spectatæ in primis, & illustris charitatis officia. Nam cum nouus ex hoste amicus conditus esset in carcerem, id vbi primùm rescivit, diuendito equo, atque sclopo, ducentorum ex argento ponderum summam eius nomine cum fide perfoluit, nullam aliam à nexo gratiam postulans, quàm vt se amici, atque ad eò germani fratris loco recipiat. Perpetuam scilicet dicas diuini seminis foecunditatem, quod vbi in peccatorum animis concipitur, squallentis solimacie, & malignitate superata cum numerofo virtutum foetu surgere consuevit.

SUSCEPTVS in adiuuanda Indorum gente labor aliquantulum solito maior, præsertim Quadragesima

me tempore: quippe quò increbrescente hominum multitudi-
 ne officia instituti nostri postulantium, quatuor
 conciones singulis septimanis habere in ædem nostram,
 & nudinario foro, & magno confitentium numero au-
 res præbere pauci admodum Sacerdotes coacti sint, &
 ab orta luce vsque ad primam facem extrahebatur
 confessionum labor, pluribus sæpius exclusis, quam ad-
 missis: fiebat enim pœnitentium concursus non solum ex
 vicis Angelopoli suburbio continentibus; sed ex inte-
 riore regione quindecim, & eo plurimum leucarum spa-
 tio remota, à multis, qui conscientia stimulis angeban-
 tur, Nostrorum solatia, & responsa quærebantur. Nexi
 quoque, & in lanificiorum ergastulis inclusi, etsi apud
 Confessarios ineunte Quadragesima à Dominis accersit-
 os, peccata ritè expiauerant, vbi primum exeundi fa-
 cultas data est, Sacerdotes nostros confessionem iterari
 clam dominis conuenere, negantes sibi toties auxilia
 Nostrorum expertis, aliter quietem à conscientia angō-
 ribus futuram, quam si eisdem animi vlcera pateface-
 rent, quibus charissimam esse suam salutem, & commo-
 da probe nossent. Cæterum dum adiuuandis infirmæ for-
 tis hominibus datur opera, dæmonis vis, Deo bene iu-
 uante, hoc pacto repressa. Mancipium quoddam, meti-
 verberum, quæ à domino parabantur, in rabiem ac de-
 sperationem verso, sese dæmoni vesana imprecatione
 deuouit. Hostis ergo Dei permissu obnoxium sibi nefar-
 iæ deuotionis iure hominem sera nocte compellans. Sa-
 tinne, inquit, animaduertis, vti ab illa effusa imprecatio-
 ne in meam ipse ditionem tua sponte concesseris, & ni-
 hil tibi iuris in animum aut corpus esse relictum? Atqui
 maturo iam tempore possessionem sacri, & deuoti capi-
 tis inuasurus aduenio. Hæc graui somniorum deliria ab
 homine primum exstimata, deinde eisdem vocibus ite-
 rum, ac tertio se compellari inter dormiendum exper-

rus, quinque noctibus proximè subsecutis, vigilias agere,
 & horrificum clamorem rei ad liquidum explorandæ
 causa expectare persistit; eadem scilicet, quæ superiori-
 bus noctibus vigilanti, & ingenti horrore perfuso in au-
 res insonuere; sed addebat prioribus veterator, ut digi-
 tos, quos in crucem formatos labijs affixerat, amoveret,
 & importuna illorum nominum (IESV CHRISTI
 scilicet, & sanctissimæ Genitricis) appellatione superie-
 deret, ut cuius animum annos viginti per silentium tur-
 pissimi sceleris occupauerat, corpus etiam ablato Cru-
 cis, & precationum repagulo protinus ingrederetur: ad
 hoc ille, etsi artubus contreiniscens, constanti Divina
 opis imploratione, & arctissimo Crucis osculo tacitus
 respódebat. Duodeviginti noctes mali dæmonis terricu-
 lamenta sustinuit, nec tamen interim vlli conseruatorum,
 quorum in cubiculo metu coactus secesserat, rem ape-
 riebatur reuocante pudore, & ratione dignitatis. Sed eo
 processit dæmonis petulantia, ut se perhorribilem, atque
 audacissimo cuique metuendam speciem, crepitantibus
 yndique flammis, mancipij oculis obijceret, eadem au-
 ribus inculcans; tum demùm terrore subactus homo,
 sublato clamore Dei, & sociorum opem implorat. Illic o-
 coci omnes sese è cubilibus sine mora prorripiunt, ac-
 cendantur lumina, lectus clamantis aditur: offenditur il-
 le sensibus penè defectus, frigido sudore perfluens, ac
 tandem longo spatio sibi redditus, & quid pertulisset
 interrogatus, conficto mendacio responderet, obiectam
 fuisse per somnium infensi sibi cuiusdam hominis effigie,
 perinde ac se ferro inuadentem: eodem viso iterum, ac
 tertio conterritos, excitatos è somno cubiculi socios si-
 mili vsus commento fefellit; at illi dictis quidem subesse
 mendacium opinati, pallore, & macie peremptum mi-
 serati, instinctu planè diuino monent, hortantur, ut sa-
 cramentum Confessionis vsurpet, propitiato Numine,
 opta

optatam pacem, & tranquillitatem pollicentur; nec exitu salutaria carnere consilia, quasi alto excitus veterano in propositum sibi à fidelibus socijs remedium oculos animi cum intendisset, in eo tandem opem sibi aduersus diabolicas impressiones repositam esse intellexit. Nec mora Socium accersit, & antequam confessionem incipiat nocturna spectra, diabolica certamina cum ordine exponit, palam denunciat, ea sibi à Deo immitti supplicia, quòd viginti annorum confessionibus piaculum gràde suppresserat. Expiatis ergo totius vitæ criminibus, & appensa ad collum sacratæ ceræ, & sanctorum cinerum bulla, & sacra corolla cum icuncula Dei Genitricis eum terrorem malo dæmoni incussit, vt à quotidiano incurfu, & infestatione repulerit. Sed ea pace frui dies oppido paucos homini licuit: terri namque spectri molesta in primis imago sic animo infedit, vt terrore, ac perpetua solitudine fatigato, & exæto, tandem moriendi necessitatem attulerit.

DVO quoque suscepta sunt hoc anno non exiguæ utilitatis itinera, alterum in Vallem S. Saluatoris; in ea duo circiter & viginti oppida numerantur, quæ Sacerdos noster valetudinarius homo, & altera manu captus, adhibito externo Sacerdote sacrorum administro, singulis mensibus circuibat. Concionum eadem commoda, quæ in vrbe consecuta Indorum, qui Quadragesimæ tempore confessi sunt, optimo animarum compendio, supra tria millia numerantur. Altero itinere ad remotiorem Zacapuastlæ regionem excursus; Nostrorum aduentum incolis fuisse gratissimum testata est publica hominum læticia: excepti enim sunt Socij cum symphonia, & cantu Christianæ doctrinæ, longè prouidentibus obuiam principibus viris cum fasciculis, ac fertis halantium florum, more gentis vetusto, atque in templum expectantium, popularium satis refertum multitudine,

medium inter agmina concinentium Patrem deferentibus. Deinde data est opera à Nostris, vt instituti nostri munera quàm maxima posset eorum contentione, & omnium ordinum vtilitate exercebantur. Itaque solum per angustias temporis stetit, quò minus vniuersi incolæ, quamuis in alienissimo tempore expiati confessione manerent. Redintegrata amicitia, quæ inter duos Parochos pessimo publico exemplo dissiluerat: ij videlicet inter alios Zacapuastlæ inuitante curione ad celebranda D. Petri solemnia conuenerant, quo die tanta Indorum multitudo eò cõfluxit, vt omnino sex hominum millia in concione noster Sacerdos habuisse dicatur. Inde animis Societatis studio, ac beneuolentia magis incensis, certatum officiosè à Curionibus est. Dum quisque Patres sibi repetit, & in suam Paroeciam abducere conatur. Sed vt domum redeamus, atroci, & inopinata morte sublatus est spectata industria, & animi submissione domestici auditor ministerij Antonius Ambrosius, qui cùm in peruigilio D. Matthæi peccata expiasset, postero die, adhuc tenebrante cœlo quærens remotum ab arbitris locum, vt se funiculis de more cæderet, in templum nuper absolutum, necdum satis tunc ad sacra ministeria concinnatum secessit, & vt in obscuro loco, deceptus errore viæ, dum sacellum odæo proximum se putat ingressum, per apertum, atque imminens templo fornicem temerè progressus, e sublimi loco præcipitatur, & allisum ad pavementum templi recens coctili laterculo stratum, caput foedissimè fregit: emotus mente, ac sensibus aufertur, nudatum inde corpus, cilicina veste constrictum apparuit, & diligenti adhibita curatione, Dei ope, mentis vsum recuperavit, & vitam obtinuit quantum temporis ad iterum expianda peccata, & extrema suscipienda Ecclesiæ sacramenta suppeditavit, quibus per otium munitus magna æternæ salutis spe ab

huma

humanis excessit, anno ætatis quadragesimo primo, Societatis sexto. In Probationis recessu versati sunt hoc anno tyrones nō pauciores viginti, præter nonē, qui domestico ministerio procurādo in varia Prouinciæ Collegia dispersi sunt: inuisitatus omnium in amplectēdis vilissimis, ac seruilibus ministerijs feruor extitit, & supplicijs voluntarijs se macerandi adeo incitata cupiditas, vt seuera Magistri denunciatione coercendi septennumero fuerint. Hispanæ classis appulsu augete in Nosocomijs decumbentium numero, viuudus eorum ardor stetit, & assidendo fœdissimo quoque morbo correptis, & omnibus charitatis, & submissionis obeundis officijs, eam sui, & Societatis coniunctam cum veneratione charitatem pepererunt, vt extiterit, qui recuperata valetudine votum conceperit seruiendi Societati.

QVI in Collegio S. Hieronymi sub Nostrorum cura, & disciplina educantur Hispani adolescentes, optimum tenent virtutis, & probitatis cursum, recognoscēdis quotidie verbis, factisque diligenter, vsurpandis crebro Confessionis, & Eucharistiæ sacramentis, & alijs honestis muneribus in eam frugem adoleſcunt, quæ bonam Reipubl. segetem allatū videatur, eorum profectu inuitatus bonus quidem rerum æstimator Episcopus, charissimos fratris filios, aulæ suæ, & eruditi prædatori commoditate neglecta, in Nostrorum conuictu, & consuetudine suis impensis voluit enutrirī. Hoc anno tandem perducta est ad exitum Aedes sacra, cuius pulchritudo cum recens ad oculos hominum peruenit, magnam habuit celebritatem, & plausum; est enim multorum opus annorum, cum magnitudine nobile, tum artis varietate distinctum. Itaque prima dies, quæ Dominica fuit infra octauas Epiphaniæ, qua sacris regionibus vsui coepit esse, rinitu festo, symphonia, choreis, ingenti omnium ordinum studio, lætitia, ac frequentia tanta, quanta

folet esse maxima celebrata est. Collegium canonicorum; Senatorum cœtus, lectissimus Procerum numerus, Religiosorum ordines certantes officijs, in nostrum Collegium conuenere, vt è veteri æde in nouum templum conuestitum aulæis, & multigeno carmine, iussituumque suauissimis odoribus solemni apparatu sacrosanctum Christi D. Corpus inferrent. Viæ proximæ vario peristromate, & virent fronde elegantem in modum ornata, suspensa pro culminibus ex serico militaria vexilla aura leui ventilata longe, & latè collucebant. Ergo vbi se pompa mouere cœpit, sublatus in cælum buccinarum cantus, ac timpanorum sonitus ex omni parte perstrepsit; mox tormentorum fragor, ædificijs intrementibus, omnium aures longo remugitu compleuit. Episcopus augustissimo cultu trabeatus, manibus Eucharistiæ pixidem præferabat, sub umbella preciosa ex auro textili, quam scipionibus inauratis Ciuitatis principes sustentabant, præibant cum accensis cereis adolescentuli è nostro Gymnasio, auro, gemmisque nitentes viginti quatuor, qui submissis reuerenter genibus Hispano carmine cum Regem Regum lepidissime salutassent, veniam petierunt, vt in ea supplicatione Regi, ac Domino suo id obsequium multis nominibus deditum præstare liceret: inductam in templum supplicationis pompam, Angelorum specie, cultuque pueri pro specularibus fenestris loco eminenti, temperata varietate vocum, & lyrarum suauissimis sonis exceperunt: habita demùm breuiter concione, populus admiratione satur eo die discessit. Feria tertia eius hebdomadæ Theologiæ theses præsertim, quæ ad celebritatem facere videbantur de templorum dedicatione, & reuerentia Sanctorum imaginibus exhibenda in lectissima doctissimorum hominum corona disputatę sunt. Feria verò quinta in magna frequentia plebis, Musicæ concentu suauissimo, tabula speciosissima, Dei Genitricis puerum IESVM

SVM ducentem somnos piè contemplantis duobus pueris in speciem Angelorum ornatis, velamina aperientibus exposita, & confecto sacro datum drama splendidissimum, quod vel propter grauitatem carminis à Poëta omnibus artis opibus exculti, vel propter adiunctas singulari artificio choreas eruditis pariter, & doctrinæ expertibus vehementer placuit. Dominica quæ subsecuta est, octaua celebritatis die, ex templo maximo, quæ P. Petrus Morales Roma ante annos quinque attulerat, sacri sanctorum cineres, & tres illæ decoræ particulæ ligni ex quo mundi salus pependit, frustum velaminis, quo cælorum Regina, mundi regem nascentem in terris fouisse memoria est, & Iosephi sanctissimi Dei Genitricis sponsi pallij particula, tenfis auro, preciosisq; lapillis pulcherrimè conuestitis, in templum nostrum, Canoniorum, aut Religiosorum hominum humeris comportata. In qua supplicatione propè ad certamen exornanda, quam fauentibus vsi fuerimus Episcopo, Clero, sacris ordinibus, Nobilitate, & plebe vniuersa satius duxi silentio prætermittere, quam rem omni prædicatione maiorem in angustias huius narrationis conijcere. Eo die in actione à discipulis exhibita diuisa sunt proposita præmia poëtis; quindecim magni pretij, argentea signa, præter multas agni cælestis effigies, cristallinis bullis inclusas. Nec abierunt sine munere, & collaudatione publica nobilitatis Principes, qui vel vt nobis gratificarentur, vel vt gratularentur suæ ciuitati, tanta decora, & ornamenta, equestria certamina, quæ in magnorum Principum inaugurationibus, aut pro bene confecta publica re fieri solent; ea magno apparatu vtraque Dominica die ediderunt. Cæterum in AEdæ veteri Indis relicta cum atrio ad vsus pios necessario, magna ab ea gente gratulatio habita est; sed & noua consecratione templi, noua facta est ad sacrorum venerationem accessio.

GVAXACENSE COLLEGIUM.

IN hoc etiam Collegio, in plures partes diuisa est Nostrorum industria, multiplici laboris prouentu. Duplicato Discipulorum numero creuit Partheniana Sodalitas, & virtutis exemplis; nam vt interim omitam euulsam pessimam iurandi consuetudinem, luxus, & alearum libidinem, & procacem parentibus aduersandi licentiam, & alias morum labe. Guaxacensibus adolescentulis, prauo educationis vitio, & patria contagione communes profus abolitas, solemnibus ex instituto Sodalitatis officijs, egregio in Dei Genitricem studio, & pietate præstandis inter alias animorum utilitates id affecuti sunt, vt in parentibus, & popularibus vniuersis colendæ muneribus Cælorum Regina, & eius effigiem in nostro templo repositam cum pia religione adeundi studium, acrioribus pietatis stimulis incitaretur. Itaq; sabbathi diebus ea fuit multitudo hominum accurrentium ad sacrificium Missæ Dei Matri votiuum, Iobilei demerendi causa, vt cum sacelli angustijs plures excluderentur, laxandi fuerint parietes, quo in opere magno pietatis certamine suam de nobis, aut verò propius de Cœli Regina bene merendi voluntatem ciuitas vniuersa patefecit: alij enim seruitia, atque mancipia, alij cœmenta, & ligna; alij etiam sericam vestem, & ornamenta sacelli cōferebant: ita sacra suppellex aucta est hoc anno quinque pensibus ex argento lycnuchis, piorum liberalitate donatis, & eorum vnius alimento perpetuo oleum constitutum.

I N elementario ludo numerati pueruli centum, & septu

septuaginta, & ex his qui characteres peritè legere, & ca-
lamos icitè tractare nouerant, gymnasij augmento sele-
cta non spernenda manus: at in omnibus ea viget pietas,
vt facto domesticorum cœtui Christiana rudimenta, &
Catechismi rationem, parentibus quidem magnoperè
gratulantibus tradere consuefcant: ex concionum perpe-
tua femente fructus non pœnitendi percepti iniecta ali-
quibus mens vniuersæ vitæ sordes per confessionè eluen-
di: reddita dominis grandis pecunia, quam fraus inter-
uerterat. Mulier quæ absente marito pessimi exempli du-
tebat vitam magna licentia morum, ad meliorem fru-
gem reuocata. Restituta quæ inter duos coniuges exula-
bat concordia animorum, euulsis turbarum radicibus.
Ex suburbano etiam Indorum vico Xalatlaci frequentes
hominum concursus in templum nostrum magna Hispano-
rum admiratione fieri consueuerunt, præsertim diebus
Iobilei, atque in ipso etiam vico ad summum perducta
est maxima templi capella, Indorum sumptibus structa,
vt sacra ædes in mediocri amplitudine noua laxitate ca-
pere posset confluentes ad concionem Nostrorum, qui
festo quoque die Christianæ vitæ præceptis, & elemen-
tis oppidanos ad pietatem erudiunt.

COLLEGIUM PASQVARENSE.

NGENS Pasquari messis propter non me-
diocrem Hispanorum, numerum & infinitam
propemodum Indorum multitudinem: sed
Indicus ager à quatuor Sacerdotibus inten-
tore cura subactus, concionum perpetuo sarculo euulsæ
ebrietatis radices infelices. Pedaneus Prætor, & alij ma-

gistratus cum Sacerdotem nostrum inuectum pro concione in homines, qui vinum exponebant venale, audiissent, ut sunt Indi Nostrorum consilijs obsequentes, missis toto oppido viatoribus de eiusmodi licentia diligenter inquisuerunt, & compertos huius sceleris reos, fractis publicè vini dolijs, & alia seueriore insuper iniuncta poena, egregiè mulctarunt. Sed ne huiusmodi plures utilitates in hominum genus consequantur ab audiendis concionibus homines reuocare viribus, & arte contendit vetus humani generis hostis. Pauda & soluta in lachrymas notæ probitatis verula narrabat nostro Sacerdoti, die quodam festo concionatore suggestum ascendente Indorum manum templo egressam, ac se tunc non sine stomacho ad exeuntes conuersam aspexisse, singulis abeuntium tetro aspectu dæmonem cum blanditijs, ac lenocinijs præcurrere, ac ponè singulos Dæmonem alium minaciter vrgendo, & impellendo ictibus succedere, ut penè vi extractos à concione præcipiti festinatione currentes extra templum agere viderentur. Habuit dictis fidem noster Sacerdos, non sine tacita commiseratione, contemplatus trementes præ horrore mulieris artus, & micantem ex oculis, & vultu animi dolorem. Sed exempla inusitata, inuitante materiæ varietate, ut coepimus commemorare, pergamus.

FOEMINA quædam, quam olim Pater Gondifaluuus Tapia, septem circiter ab hinc annos Cinaloæ à Barbaris interfectus, in viam æternæ salutis deduxerat, postera luce Sacerdotem confessionis gratiâ adire cum staret somno, & quieti se dedit: somnianti adfuit species Regiæ domus, auro, gemmisque ad magnificentiam excultæ, cuius in vestibulo eximie pulchritudinis adolescentes duo collucebant: hic inter alios, quorum industria multi homines incolumes, & securi in Regiam patentibus portis inducebantur Pater ipse Gondifaluuus apparuit,

ruit, ingenti hominum multitudine eò perducēda; imprimis insignis, ad eum mulier pristina familiaritate animos, & audaciam faciente, ipsa inter alias accedit, & pro sua in illum veteri charitate precatur, per eum sibi in regiam ingredi liceat: at Pater severo vultu: Filia, inquit, nondum tibi maturum tempus aduenit, & præterquam quod multa tibi in mandatis à me relicta, per locordiam, & negligentiam exsequeris, in confessione crimina tacuisti (& memorabat rursus aliqua à muliere patrata): tunc illa ingenti concepto dolore, somno repente soluitur, & antea vitæ memoriã repetens, planè comperit obiecta in somnio piacula à se fuisse commissa, nec tamen per confessionem expiata. Ergo ubi primùm se dies aperuit, adito Sacerdote nostro somnium enunciat, & vitam percurrrens vniuersam, quicquid foedi latebat effundit.

EST etiam in hoc Collegio elementarius ludus, in quo pueruli Indi pariter, & Hispani nominis litterarum, & Christianæ vitæ rudimenta docentur. Quotidie flexis in terram genibus, Rosarij exigunt preces, & quibus per aratam licet, sacramento confessionis crebrò, & cum pietate tractando assuescunt. Frequentat ludum Hispanis ortus parentibus singulari indole puer, qui grauem coniectus in morbum medicorum spes, & remedia eludentem, nihil propius habuit, quam vt vita fungeretur; sed præter hominum expectationem Dei Genitricis ope seruatus est: nam cum morti proximus somnos duceret, repente suo nomine compellatus, euigilans aspicit augustissimo cultu, & pulcherrima specie fceminam, & monachum ex Franciscana familia lectulum circumstantes; & prior monachus, Hęc quam intueris, cœlorum esse Regiam aduertito, puer, & me Didacum Complutensem, quem tu singulari pietate prosequeris; ad hæc ille eximia animi dulcedine delibutus, vno defixus obtutu, admirabilem Virginis pulchritudinem tacitus contemplabatur.

Tunc

Tunc Virgo, Ne cōcidas animo, filiole, si rosarium semel, atque iterum in meum obsequium recitaueris, optatam valetudinem sine mora recipies. Cumque discessum ceteros parare viderentur, puerulus audacior factus monachum sciscitatur, quem exitum sua mater sortita fuisset, paucis ante diebus ab humanis erepta. De hoc, respondet ille: filiole, te iubeo esse securum, & latum: nam illa cum coelitis in caelo felix agit tuum. Quæ cum esset effatus, utraque species apparere desijt. At puerulus ubi primum se ex admiratione collegit, vocatæ auæ visa ingenuo candore denunciat, petitque Rectorem Collegij vocari, esse sibi, quæ velit per confessionem expianda. Adest vocatus Rector, & primò de idonea ad confitendum ætate non minus, quàm de specie puerulo obuersata animi dubius multa illum interrogare, ad quæ ille eo ordine, & pietatis significatione respondit, ut obstupescerent cuncti, & Rector oblatam eius animo litem, & infusa charismata recognosceret. Sed illud præcipue responsum Rectoris animum admiratione simul, & lætitiæ voluptate perfudit, quo puerulus excusabat idè a se colorem, & formam Virginæ vestis obseruata non fuisse, quod eximius ille in ore Virginis decor elucens, cui nulla humanarum rerum pulchritudo conferri posse videretur, mentis, & oculorum intentionem tam iueunda voluptate captam retinuerat, ut aliò nec parumper oculos flectere, aut cogitationem animi traducere sibi libuerit. Igitur cum iueunda confessionis rationem ex Ludimagistri præceptis se probè tenere affirmaret, aures præbitæ confitentis, auxitque miraculi fidem recuperata paucis post diebus valetudo, & inita vitæ ratio, quæ puerum morum probitate, assiduitate precandæ, & bis quotidie sacram corollam percurrendi studio, inter magnam puerorum gregem reddat insignem.

VINCTIS, morbo oppressis, & in Xenodochio
 2001
 decum

decumbentibus crebra, & utilis nauatur opera: Experta multoties Nostrorum hominum aduersus Indicum nomen voluntate aduersæ cuiusque fortuna solatia à nobis petenda, & laborum præfidia, in Societate sibi reposita existimant Pasquarense, & quidem impetratis à nobis morborum remedijs, interdum pulsa ægritudine conualescunt. In pago finitimo puer annos natus circiter novem, ingenti vi, & corporis distorsione iactabatur frequenter, a dæmone creditur occupatus, & à ludi magistro iussa parentum verberibus identidem excipiebatur misellus, ut dolor dolore ediceretur, tandem remedijs omnibus frustra tentatis, donata à sacerdote nostro sacratæ ceræ particula, ad collum fanatici appenditur, eo remedio aut morbi vis, aut dæmonis infestatio in posterum repressa, nec multis post diebus parentes Pasquarum venire, ut Patri restitutam filiolo valerudinem nunciarent, & pro sacra medicina grates cumulatè persoluerent: Aliam fœminam adeò lemures vexarant, ut attritam, & fessam incommodis, iocis, penè in morbum coniecissent, sed recitatis super eam consuetis ex Euangelio verbis, & agni caelestis sigillo, larvales umbræ fugatæ. Excursionibus quoque multis saluti fuere: diu præsertim ad populos remotiores Parochorum rogatu, accersituque susceptæ, ingenti nostrorum labore, quippè, qui per regionem immoderatis caloribus æstuantem iter pedires egerint, & cibariorum penuria biduum vna Maicij admodum arida, & exili offella aliquando traduxerint, sed huiusmodi labores diuinæ consolationis dulcedine, & propè in manibus animorum messis vbertate facile obruebantur. Magna expectantium Barbarorum voluptate, & gratulatione excepti Sacerdotes, nullis laboribus & difficultatibus pepercerunt, ut animorum præda quotidianis parta fraudibus, hominum aduersario de manibus eriperetur. Discussa ignorantia opaca nox Diuinæ legis
 assidua

assidua prædicatione, euulsæ superstitiones, quas præti-
giator antiquus occupatis terrore sui animis iniecerat.
Sagæ mulieres, quæ mittendis sortibus, & dandis ad du-
bia responsis, quæstum à popularibus corradebant, ab
improba fallendi consuetudine abductæ. Frænum inie-
ctum immodicis computationibus. Nutantes nuptia
confirmatæ, & vagæ, errantesque libidines matrimonij
inclusæ limitibus: & vnde laboris, & fructus coniectura
trahatur, Sacerdos vnus ab initio Quadragesimæ vsque
ad solemnes Spiritus sancti ferias in expeditione verla-
tus, quatuor hominum millia per confessionem expiauit,
& ex his plures mille de vniuersa vita confitentes audi-
uit. Alter in aliam Regionem destinatus à Septuagesimæ
hebdomada, vsque ad diem, quo Christum colimus a-
censum in cælum, continuatò labore hominum de con-
tractis eo anno peccatorum maculis quatuor millia, toto
verò vitæ anteaactæ curriculo duo millia confitentium
absoluit.

COLLEGIUM VALLISOLETANVM.

RES Sacerdotes Vallisoleti versati quatum
ciuium patitur infrequentia, & clericorum, ac
Monachorum multitudo, permittit. Solem-
nibus ex instituto muneribus, non quieue-
runt homines, à vitiorum turpitudine ad virtutis digni-
tatem omni arte traduxere. Conciones de confitendi ra-
tione habitæ. Maximi ieiunij festis diebus, matutinis in
foro vrbis ad Indos, vespertinis ad Hispanos, cum aliis
nominibus frugiferæ fuerint, tum maximè quod plu-
rimos adduxerint, vt anteaactæ vitæ cursum relegerent
con-

subitis

confitendo. Aliquorum capitalie iræ, vnde magni imminabant vrbi tumultus, nostrorum auctoritate compositæ. Literarum etiam procuratio suos habuit progressus: nam ex duplici classe politioris doctrinæ plures hoc anno ad grauiorum scientiarum studia prodierunt, quam omnibus retrò annis à deducta Hispanorum colonia prodissent, & classis explicandis officij quæstionibus dicatæ latè vulgatæ utilitate, permoti totius territorij parochi difficiles, nec dum satis explicatas de officij ratione controuersias ad nostrum Doctorem sæpissimè deferrerunt, imo & Episcopus, vtriusque ordinis magistratus, ciuesque ipsi, & religiosi viri permulti, vbi de officij ratione dubitatur nihil à se, nisi ex Nostrorum iudicio, & præceptis expediunt, vt vel hic, etiam si solus esset, satis amplius nostræ in hac Prouincia commorationis, & industriæ foetus videatur. Docentur, etiam sacris ordinibus initiati Mexicanensis sermonis grammaticam, ne instituendis populis præfecti inscitia linguæ, vt sæpè contingit boni parochi functionibus animorum incommodo desint. Nec tamen harum rerum studia sic in nostro gymnasio viguerunt, vt in pectoribus auditorum pietatis cura langueret. Parthenianæ Sodalitatis alumni primas ferunt, qui ad solemnia munera Sodalitij, egregiæ virtutis documentis persoluta, & bis totius anni hebdomadis, ter Quadragesima vsurpata flagella, poenitiæ causa frequenter adhibent sacramentorum vsurpationem, quæ literarijs exornata munusculis, & crebra magnæ matris collaudatione, populo gratiora, & speciosiora redduntur. Cæterum aliarum Vrbiũ exemplo hoc anno primum quinta maioris hebdomadæ feria deducta est supplicatio superioribus annis casso labore tentata. Instruebatur duplici agmine aliquorum gymnasij auditorum, & puerorum vrbis sub signo Pueri IESV crucem bannantium, & quamuis initio timor fuerat propter magnam

gen

gentis paupertatem, oppidò paucos tunicis indutos af-
 futuros, vicit tamen pietas egestatem, & numerus de-
 albatorum nostrorum expectationem; nam præter eos,
 qui pegma gestabant, & cum cereis ardentibus præ-
 bant, agmen supplicantium omnino centum pueris, &
 adolescentibusque censebatur. Prosequebatur ciuitas
 spectaculum vniuersa concurrens, & obuiam prodibant
 quacumque se pompa circumegerat Religiosorum fa-
 milia, & afficiebat pietate animos intuentium tenera æ-
 tas poenitentium, mæstumque, ac graue silentium, quo
 omnia gerebantur.

COLLEGIUM GVADALAXARENSE.

CONCIONVM frequentia persuasum est
 profligatæ vitæ hominibus, vt superioris vitæ
 dedecus insequentis laude corrigerent. Plures
 adducti, vt pueritię memoriam recordati vi-
 timam, & inde vsque præteriti temporis maculas repe-
 rentes, generali confessione animi sordes abstergerent,
 idque vt fructuosius facerent, abiecta rei familiaris pro-
 curatione, paruo inclusi cubiculo, pijs commentationi-
 bus ex præscripto Nostrorum animum præpararent: quo
 adiumento sic exarsit multorū religio, & melioris vi-
 tæ amor, vt relicta seculi vanitate coenobiorum claustra
 sine mora petierint. Sublatę quoque prauæ consuetudines
 publico damno inueteratę, admittente maximè Regij Sena-
 tus Præside, publicæ vtilitatis, & diuini obsequij studio-
 sissimo viro. Nosocomij egroti elemosynis adiuti, & cõ-
 filiis opportunis, Christianæ legis elementa, tum in com-
 pitis, & patientioribus viis, teneræ atati, tum etiam
 Æthio

Aethiopicibus tardissimi ingenij, in sacello quod apud nos habent, non mediocri labore tradita: sed salitur perspecta vtilitate laboris sensus; nec desiderant Nostrorum opem, qui Quadragesimæ tempore duodecim leucarum confecto itinere, nostri ordinis sacerdotes, sitiētibus animis conueniunt ad confitendum, & sæpenumerò de maculis vniuersæ vitæ. Adolescentes qui in bipartita classe ad latini sermonis elegantiam excoluntur, dederunt plura in litteris, & virtute sui profectus documenta; quorum omnium exempla tacitus consultò prætereo, ne in rebus assiduo vsu contritis, multi simus. Cæterum sacello B. Virginis duo ex argento candelabra cuiusdam cuius liberalitate donata.

COLLEGIUM TEPOTZOTLANVM.

EX perpetuis Nostrorum officijs, quibus veteres regionis incolas Mexicanos pariter, & Otomitas ad pulchritudinem Christianæ pietatis expoliunt, & ex fructu, & vtilitate cultorum labores, & vigiliis semper æquante, nihil sese extulit inusitatum, aut singulare quod litterarum commendationem requirat: noui tamen inquilini qui nuper Tepotzotlam ex finitimis populis domicilia transtulerunt, illustriorem fecere Nostrorum industriam: eorum enim aliquos mulier dæmonum familiaritate, ac veneficis nobilis, portentosis mendacijs in fraudem impulerat, Christianorum Deum ita venerari, vt auita sacra, & Mexicani florentis Imperij Deorum cultus, & coerimonix desererentur, impium esse, ac nefarium credulis Indorum mentibus persuaferat, Christianorum Deum magis, quòd

priuatim offensus efflet, Vitzilopeheli Mexicanorū Deorum maximo, feueris legibus, eius & aliorum Deorum cultum hominibus interdixisse, quā quod æquitas, & vera religio pristinos Mexicanorum ritus, & sacrificia cum recentibus Hispanorum cœrimonijs consistere posse negaret. His quasi fundendis oraculis eam de se capti errore mentibus venerationem incusserat, vt non solum Deorum interpres, & internuncia; sed diuina quoque pollens miracula patranda facultate crederetur; eius imperio aërem in nubes repentē cogi, & in patentes circa regiones siccitate laborantes magnam vim imbrium effundere; eandem imbre sæpè tonante per densam pluuiam perrupisse, & sicca veste, & vestigio parentes in destinatum nefarijs religionibus montem perduxisse ferebant, & nunc sublatam in cœlum larualibus umbris homines territare per noctem, & mandata sua contempta, & neglectas Deorum religiones vlcisci. Ergo vt vetula manes, & Deorum iram placarent ad montem qui duobus ab oppido leucis inter adiacentes complurimos, celso admodum, & acuto attollitur iugo, barbari vndique sacrificij causa ventitabant. Digitum cœli, montem appellant, inde tanquam ex sacro, ac sancto fastigio munera Deorum humanæ vitæ opportunitates, & commoda diriuari. Rudis in vertice, & informis lapis Vitzilopeheli personam agebat: nam idolum figurare ne sacrilega supersticio proderetur consultò cauebant. Huic saxo nativum Copalis odoramentum, splendidè & copiosè apparatus cibos, papyri plagulas humano cruore resperlas, gallinæ sanguinem, & quod horret animus meminisse, suffocatos per summam impietatem pueros, & elicitum suis è poplitibus, & genibus sanguinem repetita ab orco maiorum superstitione, offerre consueuerant. Ea contra-
gio ne longius serperet, veterum Tepotzotlanorum religione maturè compressa est; nā huiusmodi aliquid odorati,

rati, sine mora ad Sacerdotē nostrum detulerunt. Igitur seuera inquisitione Magistratum, & frequenti cœlestiū irarum denunciatione incusso terrore, orientis mali semina restingui cœpta: nam cum sacerdos noster in proximo vico pro concione idololatriæ scelus ingenti animi ardore redarguisset, tactus religione ex auditoribus quidam, ea infectus tabe, postera die nondum cerra, ad templum rediit, seque & alios decem eadem opinionum insaniam laborantes sacerdoti prodidit; & per confessionem expiatus exposuit animi noxas, & cum timore vetulæ commentitorum Deorum cultum sic ex animo abiecit, vt erroris socios in eandem sententiam, & ad genua sacerdotis deduxerit: quorum omnium Dei benignitate ij mores iam sunt, & vitæ mutatio, vt alternis saltem mensibus confessionem vsurpent, & Patri grates frequenter agant, quòd eos à densis idololatriæ tenebris, ad lucem veræ religionis asseruit. Cæterum Patres omnes qui in hoc Collegio commorantur, vigiliis frequenter intendunt, ne generoso Euangelicæ veritatis semini vetustus humani generis hostis infelix lolium erroris interferat, & in oppida vicinæ pariter, ac remotę Regionis frequenter missionis nomine excurrentes, diabolicę fraudis reliquias persequuntur, & barbaras gentes in Christiana fide & pietate confirmant.

SEDES VERÆ CRVCIS.



N oppido veræ Crucis, tres Sacerdotes cum adiutoribus quatuor, rei domesticæ administris, nihil laboris, & industriæ prætermiserunt, quod ex instituto, & munere Societatis

in proximorum utilitates, & commoda conferre poterunt. Generales multorum confessiones exceptæ, pulsi pessimi exempli qui inoleuerant mores; diffidentes odio, adducti Nostrorum precibus, & consilijs, vt iungerent dextras, & inimicitias perpetua obliuione contererent. Sed in hoc genere magnopere commendata est ab vniuersa ciuitate cuiusdam Patris industria, qui virum principem ferocem iræ, quam iustus ex paterna morte stimulabat dolor, paulatim leniendo ac mulcendo verbis ad æquitatem, & clementiam flexit, & ad condonandam patris necem vnâ cum matre, ac fratribus Deo adiuuante perduxit, eo magis admirante ciuitate, quod ab atroci nece vix tertius effluerat mensis, & in vltione magni tumultus multorum causæ malorum futuri magnopere timebantur. Explicuit se Nostrorum charitas in adiuuandis hominibus, qui egestate plerumque compulsi ex Europa huc classibus Regis Catholici transmittuntur, & hoc anno cum in terram expositi, in urbem victus querendi causa, extrema penè rerum omnium inopia concurrerent, & attritis emporij opibus omnium necessitati ciues pro sua voluntate subuenire non possent, non recusarunt socij quo minus octoginta, & his plures quotidie in nostris ædibus cibo reficerent. In portu S. Ioannis, duæ rostratarum celsiorum classes, quarum altera argentum viuum ex Hispania attulit, altera argentum, & purpuram eò reuexit, dum in anchoris fuere, idoneam nauigandi tempestatem præstolantes, ingentem laboris segetem Sacerdoti nostro præbuerunt. Militum odia, ac simultates magno vitæ periculo contraxit, dum eorum licentiam, & improbitatem verbis, & auctoritate coercet, & Insulanos ab eorum iniurijs defendere nititur; ingentes quoque difficultates superauit, dum pacem maximè inter primarios viros restituit, & naualem omnem turbam in magna diuini pariter, & humani iuris inscitia, & in alta
 futuri

futuri seculi obliuione iacentem ad expianda peccata, & curandas animi plagas adducit. Frequentes habuit conuersiones, & in cœtibus Classiariorum familiares de diuinis rebus sermones opportunè ferebat, vt quod ex superiore in cassum egerat loco, priuatis colloquijs, & familiaribus congressu ad exitum perduceret. Christianæ doctrinæ summam explicabat identidem: & videbantur Angli, quibus amissis duabus nauibus in potestatem Hispanorum venerant, & tunc in vinculis tenebantur, ijs officijs commoueri, & animo immutari; & quidem duo pueri baptizari ritu Catholico voluerunt, qui nunc vt voti cōpotes fiant, catechismo informantur. Auxit opportunè per eos dies incitatum hominum religionem infelix, nec opinatus militis cuiusdam interitus, qui in contubernijs, & frequentioribus hominum circulis Sacerdotis nostri monita procaeciter aspernatus, linguæ intemperantia, ac veteri in nostros homines odio prouectus, multa superbè, & contumeliosè in Societatem iactauit, & addidit eum iuramento temeratus, ac fordidus, non sine audientium offensione & stomacho, abiret Teatinus cum importuna, & tristi sapientia, ante mortem sine Sacramento se obiturum potius, quàm alicuius ex eo ordine iudicium subiturum. Paucis post diebus contigit, vt leui momento iratus commilitoni, dissimulata parumper ira, in aures insusurraret, esse sibi quæ cum illo remotis arbitris agere velit, & manu prehensum templum ingressus lustrati aqua asperfit; & tu, inquit, animæ salutem consulito, cœlitumque opem exposcito, non ante hodiernus concidet sol, quàm hac dextra interemptus occumbas. Exhorruit scilicet miles subita, & atroci denunciatione percussus; deinde se cupere amicitiam prouocantis nequidquam obtestatus, ad pugnam se comparat. Irritatis itaque animis egrediuntur, enses educunt, & in mutuam necem collato pede feruntur; primo congressu prouocator adacto in viscera

ferro in eodem vestigio concidit moribundus: licet undique magna hominum multitudo concurrat, quæritur à confessione Sacerdos proximus, qui aberat noster, accersitur, sed seuerissimo Dei iudicio factum est, ut qui oblatam confitendi facultatem animo fastidiente respuerat, verus suo damno vates volens nolens promissis stare, nam Pater præpropere cursu aduolans infelicissimum hominem linquente iam animo, & usu linguæ impedito inuenit, multa que in aures valido clamore vociferatus, nullum contritionis, aut confessionem cupientis animi, signum elicit. Ergo ubi animam miserè, atque infeliciter efflauit, multis subiit recordatio eorum, quæ paucis ante diebus militariter de nostro Sacerdote, & Societate vniuersa iactauerat; nec dubium alicui fuit, eo exemplo se commonefieri, ut salutaria concionatorum monita grato ac libenti animo arriperent, & sacros Ordines cum veneratione suspicerent. Obiit præterea sunt vicina Indorum oppida, quibus eò gratior fuit Nostrorum opella, quòd Parocho nondum linguæ cognitionem adepti omnibus animorum solatijs toto anno caruerant. Mirum quanta simus apud eos populos charitate, quanta fiducia arcana pectorum nostris denudent, quàm sitientes aures eorum concionibus afferant; quare Socij. quotannis ex eo nouali plenos manipulos domum reportant, sed pleniores hoc anno: nam ex interiore regione allekti nostrorum anniuersaria excursione, quòd ex eorum congressu fructum perciperent, multi in oppidum quoddam huius territorij successerant, instinctu plane diuino; illud enim primò à Nostris lustratum est; contra quàm consuetudine receptum erat, & Patribus in reliqua oppida excurrentibus. Foeda morbi lues in ea regione grassata oppidum funeribus propemodum exhausta, & quos morbus extinxit, sine confessione decessissent, si aliundè fuisset excursio à Nostris incoepa. Mortuus est in hac sede frater Petrus Carrillus

rillus sacro subdiaconatus ordine insignitus, qui cum cæteris Socijs, quos R. P. N. in has regiones destinavit, nauim conscendit Hispali, & toto longinquæ navigationis tempore, graui, ac molesto morbo vexatus, quarto die postquam D. Ioannis portum attigit, emenso etiam procelloso vitæ pelago, portum Beatitudinis, vt Dei benignitas, & præclari ad colendam Domini vineam hominis impetus pollicentur, felicissimè tenuit. Obijt extremis Ecclesiæ sacramentis multa significatione pietatis acceptis, vltima die mensis Augusti huius anni, in itæ Societatis decimo, ætatis vigesimo sexto. Cæterùm piorum elemosynis contracti æris alieni tria argenti ponderum milia persoluta.

SEDES CINALOÆ.



VLTIA quæ superioribus litteris adumbrauimus, certius explorata breuiter attingemus. Communia multa, & alibi fortè reticenda, sed in populis nuper aggregatis ad fidem, & ex cœno superstitionum extractis, etiam ea, quæ inter veteres Christi cultores vsu eueniunt quotidiano, magnum momentum habêt ad pietatem excitandam. Quatuor ergo Sacerdotes cum fratre Coadiutore dütaxat vno, asperû hoc vepretû excolunt, eo ordine, vt postquam mensem integrum singuli extra oppidum euagati in spargendo Euangelij semine, & confirmandis in fide Neophitis collocauerint, quasi receptui canant, & quindecim dierum spacio domi se teneant, vt intentiore suæ vitæ recognitione, & contemplatione rerum cœlestium vegetiores redditi, quasi integratis viribus, & nouo impetu capto ad instituta in Dei gloriam, & animo-

rum cōmoda promouenda reuertantur. Præcipuæ quoque celebritatis diebus, non solum Patres in hoc oppidum Cinaloæ conueniunt, sed Neophiti etiam frequentes affluunt, cum alijs pietatis nominibus, tum præcipue, vt moribus, & lingua dissidentes congressu, & religionis vinculo, & necessitudine coalescant. Sed ne diuersitas linguarum à procuranda gentis vtilitate retardet, quantum studio, ac sedulitate perfici potest, enituntur Patres, vt linguarum omnium consuetudinem primo quoque tempore nanciscantur. Frugifera hic oppidanis Hispani nominis, & militibus præsidarijs impenditur cura, qui frequentatione sacramentorum sibi saluti sunt, & Neophitis excitamento. Inuisitur custodia publica, & ex nostra tenuitate vinctis sæpè cibus infertur. Tolluntur femina discordiarum, & odio dissidentes, data ac petita publicè venia, ad pacem reuocantur. Pueris, ne tenera ætas sine compendio aliquo conteratur, traduntur litterarum rudimenta; ratio Ecclesiastici cantus, & quod caput est, Christianæ legis & alia morum præcepta. Ad Indos deinde labores, & studia conuertimus: magna hic eorum colluies præter inquilinos, conuenæ etiam Mexicani, Tlaxallenses, Meciocanenses quamplurimi numerantur, qui locanda apud Hispanos in diem opera, vitam haud pessima conditione traducunt. Dederunt omnes suæ pietatis specimen, verni ieiunij diebus, cum instructo agmine, è delubro Virginis Christianam doctrinam, & hymnos patrio carmine conditos, piè admodum, & religiosè canentes, ter singulis septimanis in nostrum templum venirent, vt concione, & psalmi quinquagesimi cantu excitati ad pietatem animi in sua terga sæuirent: sed hoc studium sua domandi corpora, Christi Domini cruciatus recolendi, maioris hebdomadæ ferijs testatum fecêre, cum duabus deducti supplicationibus, cum ingenti sanguinis profusione structa è ram ali

malibus temporaria facella, Dei misericordiam poscentes, obirent. Mense quoq; Septembri cum ingrueret aquarum penuria, & sata, segetesque magno detrimento incolarum passim torrente sole siccarentur, de nostro consilio tribus diebus, qui nascentis Deiparæ solemnia præcurrunt facta supplicantium manu, pegma Dei Genitricis, quo maximo potuerunt ornatu, ac pompa, in templum deduxerunt, & elutis per confessionem animi sordibus, & Angelorum cibo refecti, ante aram ipsius Dei Genitricis effigie conspicuam sese acriter diuerberantes, communis hominum patronæ opem afflictis rebus impetrarunt: nam tertio supplicationis die, repente cælo sereno, coactæ nubes duarum horarum spatio, magno fragore cæli, imbrem effundere non desierunt, gratiarum officio perfoluto, vt suæ religionis, ac fidei acceptionem factam ostenderent, sagam prodiderunt, quæ suo imperio pluuiam cohiberi, & nubes disenti prædicabat, ex templò missò viatore venefica adducitur, & sine tergiuersatione crimen confessa, egregiè punitur.

SE D iam qui sit profectus Indorum, qui in ea Regione ortum habent, breuiter exsequamur. Huc Nostorum peregrinationes, vitæ molestiæ, & quotidiana pericula referuntur: maiorem anni partem concursantes per oppida Socij in excursionibus ponunt. Quamdiu Sacerdos in oppido est, conueniunt Neophiti omnibus diebus, vt sacro interfint, & religionis præceptis informantur; diebus verò festis ex finitima regione sub vexillo Crucis viridi fronde, & pluma versicolore in speciem ornato, longa serie ad visendum Patrem, & celebranda sacra mysteria, Dei laudes religiosè canentes, accurrunt, & eodem ordine obuiam prodeuntibus oppidanis, vbi vexilla concurrerint, in genua prouoluti, cum religiosa percussione pectoris, humanæ salutis insignia supplices

adorant. Deinde templum ingressi, rem sacram, & concionem singulari attentione prosequuntur. Postremò dimissa concione oppidani conuenas inuitatos tecto, & mensa peramanter excipiunt. Absente Patre sæpenumero sponte sua congregati, flexis ante Crucem in area suppliciter genibus, canendis religionis elementis, & pijs alijs carminibus suam solitudinem ipsi solantur. Ad anniuersariam Quadragesimæ expiationem, vt paratiores accedant, Crucis trophea oppida circum, in accommodata Regione collocantur, ad quæ composito agmine sua terga cadentium, aut consueta prece Ecclesiæ Sanctorum auxilia poscentium, statis diebus proceditur, aut in templo ad cantum psalmi pœnitentialis voluntaria verberatio ingenti ardore animorû bis vno eodemque die suscipitur: foeminae perinde, ac mares, teneræ ætatis pueri, aut longa ætate confecti senes, ad voluntaria supplicia conuersi, sibimetipsis irati peccatorum soluunt acerbissimas pœnas. In morbum coniecti, nihil prius habent, quàm vt animo, per confessionem medeantur, & sæpè hac animi medicina recuperata valetudine, corpora conualescunt. Ebrietatis latè patens malum, & luxuriæ pestis, inducta paulatim frugalitate, & continentia, magna ex parte repressa, ita vt rarè admodum mero vinctus appareat aliquis ex ijs, qui sua nomina Christo dederunt. Senex quidam ex melle confecerat vinum, quòd decem alijs propinavit, ac licet nullum vicerat, aut vinxerat merum, vtpote minus acre, cum in concione obliquè perstringerentur à Sacerdote, cui ad aures venerat Neophitorum compotatio, illicò omnes in genua abiecti, id quod erat sua sponte professi, voluntaria verberatione in magna popularium concione, piaculi, si quod erat, pœnas dedere. Itaque iam obtinuit vsus, inter Neophitos, vt ad potandû inuitati respondeât, Baptismi fonte renatis id seuerà lege cautum esse: hoc etiam respon

responso castæ fœminæ ad stuprum sollicitatæ, impuros homines à se reijciūt. Sed vnus in tuenda castitate constantia, eò processit, vt ab Ethnico nec minis, nec illatis & filiolo, quem in vlnis gestabat, vulneribus, & suo corpori; ad flagitium perducì potuerit. Vidua alia pellicientem impudicum virili animo inuasit, & detractas ab humeris cum arcu sagittas comminuit, fregitque, arreptoque fragmento arcus procacis latera validè cum protudisset, domo eiecit præcipitem.

SED excursiones obeuntibus Sacerdotibus multa eueniunt, in quibus Dei prouidentiam agnoscas, & incomprehensibilia admirère consilia. Dum apud Bacoioes agit P. Petrus Mendez, magna festinatione accersitur, vt vetulam cum morte luctantem Baptismate lustret; sequitur vocantem; inuenit mulierem, quam in cœno superstitionum pertinaciter hærentem multis retro annis nulla arte potuerat ipse perducere, vt in templum cum popularibus conueniret, & audiendis rebus ad salutem animi pertinentibus operam daret; sed iam tunc dextra Excelsi mutatam, & ita verò sensu resipiscentem, vt certaret cum languore, & macie corporis, vigor, & ardor animi ad cœlestia prominentis. Ergo lympa sacra eluta, quasi nihil esset cur moraretur in terris, sine mora euolauit in cœlum. In eodem pago dum ægrotos per casas & tuguria conquirat, mulierem necdum Christiana sacra complexam offendit, quæ filiolum quinquennem languentem morbo fouebat in sinu, ad aspectum Patris exhorruit languidula, & quasi diabolicis acta furijs deformi, & concitato totius corporis motu Patrem propellere videbatur: agnouit ille dæmonis astum, spe deuoratam prædam sibi ereptum iri timentis; & matrem quæ puellam abscondere frustra tentauerat, multis argumentis tandem adducit, vt lenitam blanditijs filiolum, Baptismi fonte renasci patiatur, quæ non multò post ab

infu

infusa aqua Baptismi felicem efflavit animā. Apud Nios iacebat oppressus morbo, confectus ætate senex, Patrem, vt animo consulat euocat ab oppido Ocronij: adest Pater, recreat hominem morbi tædio valde moerentem, & instructum catechesi, constituta Baptismo die solatus discessit: ea vbi primū eluxit, misit, qui hominē infidentem equo ad se traherent; aut si morbus impediret, se maturē vocarent: sed interim senex leuatus morbo innitens baculo Patris officium anteuertens, cum vxore Ocronium pergebat, hic exceptus, & baptizatus à Patre, animi salutem, & corporis vires recuperavit, & nunc vt Patri testatam faciat memoriam beneficij, ad eum cum munusculis vnus, & dimidiatæ leucæ itinere officiosè itare consuevit. Leucis inde quatuor tabifico morfu cuiusdam animalis, morti proximus, torquebatur Neophitus quidam, eò cum accurrisset, re cognita, Pater hominem venenatum, & tabo tumentem inuenit, & confessione expiatum, sacro vixit oleo, eo amuleto extingui visa est veneni vis; nam tumore corporis subsidente, & mitescente dolore, breui tempore sanitati restitutus est æger, eo maiori incolarum admiratione, vim sacramentorum laudibus in cœlum vsque ferentium, quòd nec sua, nec Patrum memoria meminissent, aliquē eius animantis veneno infectum vitam vltra quatuor & viginti horas extrahere potuisse. Duo coniuges, qui quondam à Franciscanis fratribus baptizati turpem conuictum pro matrimonio multos iam annos coluerant, adacti tandem conscientia verberè Ocronij Patrem conuenere, vt eos iungeret ritu catholico, & nunc inita melioris vitæ ratione, præteritæ ætatis dedecus honestate præsentis oblitterant. Hæc velut exempla ex literis P. Petri Mendez, cum pluribus prætermisissis satisfactionis vitandæ causa libauimus.

PATER Ioan. Baptista Velascus suis quoque nunciat

ciat litteris, barbaros cædis, & belli cupidos, qui deuia, & abrupta loca insidebāt, cum nulla Hispanorū vi, aut arte inde extrahi potuissent, lenitate Patris, & officijs, relictis saltibus, in amœno, & irriguo loco domicilia posuisse, eosque fecisse in pietate, ac religione progressus, vt Quadragesimæ tempore à voluntarijs supplicijs, ac se verberandi imperu summa Patris contentione retrahendi fuerint. In vicinis quoque Ethnicorum Regionibus haud incerti prouentus noualia, Nostrorum & laborem, & operam non semel inuitant, præsertim Vallis, quæ Coruina dicitur, vbi incolæ templa sua sponte excitant, & frequentibus postulant legationibus, vt in suam messem tandem aliquando Euangelij falces immittantur; sed albentes in vicino segetes tenuem operatoriorum manum in plures partes distrahi non permittunt.

IN Guazanio, ad mare vsque excurrentibus populis, non mediocre incrementum Christiana res cepit. Ij paucis è popularibus ex Hispanorum custodia clam elapsis summa ope instigantibus, aliquoties in montana, relictis oppidis, & templis per summam impietatem accensis, Christiani pariter, atque Ethnici irritati secesserant: tandem malis & patrio desiderio fessi, ad pristinas ædes pacati nuper rediēre. Vfus occasione Præfectus militum, eò contendit cum Patre Sociorum Rectore, linguæ perito, & barbaris non ignoto, vt hominibus Hispani nomini metum demant, illis ad oppidum Vrx progressis, quadringenti Guazanes instructi sagittis obuiam prodiere, in vtrumque parati. Itaque altera manu cibaria præbebant, altera arcum expeditum, omnia circumspectantes, tenebant: sed cum eos docuisset Pater, quam minimè hostiles animos in eorum gentem & nomen Hispani gererent, positis magna fiducia armis, pacē, & doctorum copiam postularunt. Omnia illis summa

Hispa

Hispanorum, & Patris voluntate concessa, atque ipsi vicissim quinque magnæ laxitatis templa excitaverunt, & teneræ ætatis liberos sacra tingendos aqua ad Patrem detulerunt: ij dacentorum & quadraginta numerum expleant; in alijs oppidis æquatis rationibus paruuli non pauciores ducentis; adulta iam ætate viri, foeminaeque quatuor supra centum baptizati: quadraginta quatuor coniugum paria matrimonio copulata.

N V N C breuiter exequar, quo pacto supplicium Hispani sumplerint ab interfectores P. Gundifalvi Tapia, præsertim à Nacabecca turbulentissimi ingenij barbaro, eius sceleris auctore præcipuo; tum vt quod data fide superioribus litteris polliciti sumus, cum fide præstemus, tum etiam, vt ex hac narratiuncula appareat, quantis vitæ periculis nostri homines ea loca pererent, vbi perfidia, & occidendi libido sedem propè ad certamen posuisse videantur. Nacabecca cum nefarij concilij socijs haud ignarus quid ab Hispanis cõmeruisset, optimo Patre Gundifaluo, viro omni laude præstante, indignissimè obtruncato, celsa montium iuga, aut præcipientes saltus, sedibus in diem mutandis incolebat, nec ita facilè se dabat in hominum lucem, atque adedò in ipsis montibus (quæ erat hominis astutia) longo à comitibus intervallo remotus capiebat somnos, vt si quis impetus ab hoste fieret, dum à prioribus exciperetur, quocumque euentu sociorum, ipse per saxa, rupesque arrepta fuga in interiora latibula se maturè reciperet. Concubia interdum nocte cum sceleratorum manu, iumentorum prædas agebat, & quæ abducere non poterat, sagittis configebat, magno sanè & ineuitabili incolarum detrimento. Porrò Nacabeccæ erat sororis filius Orocon nomine, acer, & manu promptus adolescens, simulandi & quæ, ac dissimulandi peritus: is composita fraude suam industriam ad comprehendendum Nacabeccam, Hispanorum

norum Præfecto, simulatione officij deferebat, conqui-
 sitores ad nota cubilia præibat, & clam auunculum, quod
 in eius caput Hispani statuissent per fideles internuncios
 opportunè monebat. Ea ludificatione charitatem sibi
 apud Hispanos peperit, & Nacabeccæ incolumitatem,
 & vitam iterum, ac tertio seruaui. Sed cum frustrandis
 roties Hispanorum conatibus, in suspicionem perfidæ
 coitionis venisset, simulato consilio, Guadianam ad aue-
 henda pecora cum Procuratore publico à Præfecto mit-
 titur. Ex Colonia Hispanorum profectus, cum phare-
 tram in itinere desideraret, patria rursus leuitate regre-
 ditur, ac veritus Præfecti, & Hispanorum offensam, vita-
 to popularium congressu, in densos lucos, & feris solùm
 peruia iuga cum duobus comitibus secessit. Dum ex saltu
 transit in saltum venationi intentus, incidit fortè in
 senem, natione Teuecum, qui à flumine Eborensis ad ac-
 colas fluminis Petatlanis iter solus agebat; hunc auer-
 sum, nec opinantem facto impetu obruncat, & abscis-
 sum à ceruicibus caput gratisimum ratus inuenisse mu-
 nus, quo Hispanorum iram cum sua vtilitate pacaret,
 auunculi caput esse commentus, dono detulit Hispano-
 rum Præfecto, nec fefellit hominem spes; nam vt ea quæ
 magnoperè desiderant homines, facili momento addu-
 cuntur vt credant, multorum consensu habita fides bar-
 baro est: atque eum ipse Præfectus sua veste magni pre-
 tij donauit, & ducis titulo decoratum, deinde in honore
 habuit. Ocoroni à Præfecto habitus honos proximos
 paganos excitauit, vt Nacabeuæ maiorem natu filium,
 & eius comitem, qui primus Patrem Gundisaluum claua
 percussisse ferebatur hospitio exceptos, & resectos ci-
 bo, somno mersos opprimerent, & capita eorum ad
 Præfectum afferrent. Sed quod perfidus Ocoron in suam
 incolumitatem dæmone instigante patrauerat, Diuina
 iustitia in eius, & auunculi perniciem postmodum vertit:

nam

nam cum accolæ fluminis Eborensis ad festum magnæ
 celebritatis diem peragendum in oppidum de more ve-
 nissent, dum caput quod Nacabeccæ nomine in publico
 ac patenti loco pendeat curiosè contemplantur, de-
 mùm eueci senis à suis desiderati, & frustra conquiriti
 caput agnoscunt. Præfecto scelus, & mendacium Ocro-
 nis sine mora denudant, extemplò compræhensus mul-
 torum scelerum reus in vincula abripitur, & Teueci vul-
 gata popularis nece ira perciti emortui senis manes vl-
 cisci meditantur. Mos est genti vetustus, multorum se-
 men, & origo malorum, vt acceptæ cuiuslibet iniuriæ
 pœnas non solum ab eo, qui intulit, sed ab affinibus, &
 popularibus etiam repetat læsus. Ergo Teuecis in omni
 vltionis opportunitatè excubantibus, Nacabecca Ocro-
 nis auunculus cum genero, & filia, & altero comite, quæ
 filia etiam sequebatur ignarus, quid suo, suorumque ca-
 pitibus immineret, Teuecorum oppidum ingreditur: ij
 vltionis auidi, opportunos ad iniuriam, & necem hospi-
 tes, prouecta iam nocte sublato vndique clamore secur-
 ros, nec opinantes inuadunt, Nacabeccæ generum, &
 comitem alterum obtruncant, duæ mulieres conduntur
 ergastulo; Nacabecca valido fune ad palum alligatur
 positis è regione generi, & focij capitibus, quorum aspe-
 ctu torqueretur. Deinde missis qui compræhensi Naca-
 beccæ nuncium ad Præfectum celeri cursu perferrent,
 facta manu in mapalia, quò se noxij quidam, & perfugæ
 receperant, impetum dant, & dolori, atque iracundiæ in-
 dulgentes trucidatis omnibus fugitiuis, Ocronis perfidiam,
 & cæsum popularem, ad satietatem vlti sunt:
 deinde ouantes in oppidum reuersi, capita interfecto-
 rum aduentantibus Hispanis, specioso & grato munere
 detulerunt. Nacabecca quotidiana confectus inedia an-
 teuertisset Hispanorum supplicium, ni eum ipsi detra-
 ctis vinculis, quibus ad palum alligatum per summam
 imma

immanitatem quatuor ipsos dies ieiunum oppidani tenuerant, cibo & potu recreassent. Inde Præfecto sistitur, & quæstione paucis diebus ex forensi forma peracta, multorum scelerum conuicti Nacabecca, & Ocronad patibulum adiguntur, obtinuitque Nostrorum ardens cohortatio, ut hic perinde, quam ille peccata cum dolore detestatus, mortem illam non dubijs salutis suæ significationibus editis constanter exciperent.

MISSIONES.



ETSI in hac regione, ac pene intra domesticos parietes latissimus pateat campus vni se Nostrorum iactet, ac dilatet industria, tamen ex maiori animorū vtilitate, ac pleniore Numms obsequio, visum est Patribus esse, si duo itinera ad remotiores inde regiones à duobus sacerdotibus susciperentur; alterum ad castrum Hispanorum Conceptionis nomine notum, argenti fodinis nobile, & Meciocanensibus Indis frequens quinquaginta leucas per alpèra faxis loca Sacerdos emensus ingenti labore eò peruenit; eo maiori cunctorum ordinū gratia, quod integrum annum Sacerdote, & sacramentorum vñ caruerant. Purgati omnes confessione, plerique Angelorum pane recreati, vitalibus aquis abluti, nonnulli qui instructi catechesi sacerdotem annum præstolati fuerant: dissolutæ multorum amicitæ reglutinatæ, & discussi improbi mores, qui ignorantiam, & concionatorum inopiam plerumque consequuntur nocturnis horis, quia interdii facultas deerat Indis argenti fossione occupatis, explicata catechesis plurima vtilitate, & illius exemplum litteris consignatum, ex quo in posterum docerentur quotidie, relictum

tanta eorum gratia, vt licet Pater eorum eleemosynas saepe reiecisset, publicè obtestatus se non corrogandæ pecuniæ, sed procurandæ eorum salutis causa venisse; cohibere se non potuerint, quominus Patre Cinaloam reuerso, argenti quantum pro sua egestate conferre potuerunt eleemosynæ nomine ad sedem Cinaloæ transmitterent. Ad Culuacanenses, veteres Societatis amicos Parocho per litteras, & eorum gentis primoribus cum muneribus popularium, enixè postulantibus ante, & post ieiunium vernalium Sacerdos vnus linguæ peritus excurrit. Tauensis nominis ad vnum auditi confitentes, & complures de piaculis vniuersæ vitæ, vel quòd penuria Sacerdotis nunquã confessionem obierant, vel quòd angoribus cõscientiæ torquerentur, vsurpantium flagella is ardor, ac numerus fuit, vt omnibus ferè noctibus templum completur hominibus echinatis globulis sua terga pungentibus, & eorum composito agmine ex vno in alterum pagum dimidia leuca sæpenumero distitum supplicatio duceretur. Concionum quæ habebantur festis diebus omnibus, & profestis, quibus per confessionum laborem, & valetudinem sacerdoti licebat, magna vtilitas. Cernere erat Indorum multitudinem tanto animi sensu, ac lachrymarum effusione concionatori operam dare, vt durum quamuis, & asperum pectus pio spectaculo ad commiserationem flecteret, & in lachrymas gemitusque resolveret. Ad diuinas epulas excepti omnes, qui per ætatem poterant, nec pauci præcipiti senectute, quibus aditus nunquam patuerat, quod in ardenti Sacramenti desiderio, & congruente mysterij cognitione, Sacerdotis ministerium defuisset. Porro eorum qui communicarunt ea pietas, & Sacramenti reuerentia fuit, vt in ediam vsque ad noctem extraxerint, & fusi in preces, in templo se piè, ac religiosè tenuerint, paucis admodum exceptis, quos languor virium corporis, cibosè recreandi causa

causa, petita prius à Patre facultate, domum abire coëgit. Complures aliæ utilitates partæ Nostrorum sudoribus, qui Cinaloæ versantur prætermittuntur, quoniam ex similitudine quam cum his habent, vel me tacentes, intelligi possunt.

SEDES ZACATECANA.



RES Sacerdotes in hac Sede morati, nihil ex domestica disciplina prætermittentes, officijs instituti nostri assidue ministrandis in vrbe, peræque atque finitimis populis, hominum animos ad disciplinam, atque officium reuocare conati sunt. Instituta Indorum Sodalitas, crescit alumnorum numero, qui in lætiorē quotidie pietatis segetem adulescunt. Vetera certamina, & prouocationes lenita hominum ferocia, paulatim exolescunt, consuetudine vsurpandi diuina mysteria, catechismo, & concionibus celebrandis, adeundisque perhumaniter morbo decumbentibus. Elementarius ludus hoc anno apertus erudicendis puerulis primæ ætatis, eam approbationem habuit in omnes ordines vrbis, & totius vicinitatis, vt quindecim non amplius dierum spatio Hispanis orti parentibus centum quinquaginta discipuli conuenerint, & spes est fore, vt in dies crescat puerorum numerus, cum ingenti Reipublicæ utilitate.

V u

SEDES GVADIANAÆ, ET MISSIONES.

GVADIANAÆ duo Sacerdotes statario, ac perpetuo labore animorum utilitates egregiè tuentur: sed vt domestica mittamus, quæ omnia sunt communis exempli: sex præterea Sacerdotes obeundis vicinis pariter, ac remotis oppidis, sollicitandisque ad Dei obsequium hominum animis, ex facta diuini verbi semente vberes colligunt fructus.

FERDINANDVS Santarenius missionis nomine ad argenti fodinas Topiæ destinatus, litteras huiusmodi ad nos dedit. Patrem Franciscum Gutierrez, in cuius veneram comitatu, ex Cinaloæ Prouincia per montes Topiæ redeuntem, Castri incolæ cum Parocho conuenerunt, enixè postulantes, vt quando illi Sociorum omnium consilia P. Prouincialis subiecta fecisset, daret hoc eorum solitudini, vt me, qui quatuor ante menses apud eos diuino obsequio procurando moratus eram, iterum in castro manere pro sua potestate præciperet, se iam felicitate nostri conuictus carendo magis, quàm fruendo sensisse, Socijs absentibus nullum in eo castro comparere Christianæ pietatis vestigium, cuncta iurgijs, fraudibus, litibusque misceri, Hispanos & Indos magnâ suarum fortunarum partem in sumptus quotidiani victus obligare; in eo congressu spectata fuit & illustris Indorum charitas, collecto quippe magno argenti pondere, solertes atque industrios Procuratores parauerant, qui ad Senatû Regium Guadalaxaræ, leucis inde amplius centum, quàm maximis itineribus properarent,

& c.

& à Præsìde, atque vniuerso Senatu eblandirentur, vt suam interponerent auctoritatem, quò res, in qua eterna eorum salus agebatur, opratum exitum haberet: & sanè profecti fuissent, ni ego, iniecta spe breuissimi reditus, eos ab incepto reuocassem. Topianorum ergo dolore, ac nostri desiderio vtcumque lenito, Franciscus Guttierrez Guadianam rectà contendit; at ego flexo itinere ad Axacaes populos continuò perrexi. Sex oppida suis satis referta incolis lustraui, patria hominum lingua Christiana fidei elementa explicauì; infantes omnes Christianos feci, & aliqua paria matrimonio coniunxi. Inde ad montes Napares ascendi: duo hìc vero ac maximo Deò templa dicaui, & victricia Crucis vexilla è regione erigì iussi. Hebdomadàm in tradenda Christiana doctrina insigni frequentia, atque studio affluentium populorum, magno vtiq; mei animi gaudio posui: vnus tam breui tempore eos fecit in catechismo progressus, vt in castro sancti Hypoliti, quò Ethnicos omnes templi struendi causa coegeram, reliquos catechumenos ipse doceret. Quare eum baptismo lustraui, magna popularium læticia, & catechumenorum excitamento. Interim ex populis sancti Michaëlis aliqui me accersitum venère, vt saltem infinitam propemodum puerorum multitudinem Baptismi salutari aqua respergerem: sed postulatis iam tertio rogatus, & aliorum precibus, qui ne itineris difficultate, ac densitate nemorum deterrerer, arboribus incisis viam iumentis patefecerant, ne eo tempore annuerem, ingenti sanè meo dolore impediuit mandatum mihi negotium, frequentia incolis tria alia castra adeundi. Naparibus ergo relictis initio Quadragesimæ, multa gemens ad Castrum sancti Andree contendì, plures hìc dies, quam initio putaram, dum obsequor hominum studijs, & eorum erga Socios amorì, instituti muneribus exercendis moratus sum, sapiusq; Parochum à me pe-

tierant, vt apud eos manerem vsque ad solemnes maioris hebdomadæ ferias, & Indis Hispani persuaserant, vt supplicibus libellis Magistratum sollicitarent, vt sua me auctoritate, & precibus retinerent, & illi sua sponte addiderunt precibus minas, deserturos se operam fodiendi metalla, si ea à Patre non impetraretur commoratio. Igitur cum ea parum proficerent, & illis salutem, & valete pro concione dixissem, effusi in lachrymas ducenti & eo plures mihi ad genua acciderunt, monentes, rogantes, vt saltem quæ sequebatur hebdomada apud eos manerem: sed angustia temporis aduersabantur. Dominica, quæ in Passione dicitur iam agebatur, & indulgere hominum precibus sine multorum damno nõ poteram: quare obsequij & obedientiæ rationem profectio- ni pre- tendens, Indorum omnium exceptis confessionibus, postera die tenebris nondum discussis, ne oppidanorum in meo discessu iterarentur querelæ, & dolor recrudesce- ret, ex eo Castro profectus sum. Itaque cum profectio- nis fama manare coepit, iam ego Papudorum argenti fodinas attigeram, qui impatientes moræ me quæsitum ire parabant. His omnibus Deo per confessionem recon- ciliatis, Topiam publica omnium lætitia, & gratulatione perueni. Viginti ipsos dies in hoc castro commoratus, assiduis concionibus, Catechismi explicatione frequen- ti, Hispanis, Indis, atque Aethiopibus frugiferam ope- ram impendi. Dissidentes octo, quos ad mutuam cædem pertinax furor incitabat: ab infania reuocati, sese ingur- gitandi vsque ad voraginem mentis, quæ in moribus In- dorum dominabatur, consuetudo repressa. Venerunt ad me aliquando non sine sensu doloris querentes Indi, quatuor aut quinque gentiles suos, consuetudinis scilicet impetu abreptos computationi intemperanter in- dulisse; Atqui vos, inquam, vt Christianos decet, suppli- cio voluntario iustam Dei iram à vestris gentilibus auer- tite;

lite; nec plura, intendentibus se tenebris, facto coetu cum flagris in templum conuenere; nec prius se diuerberandi finem fecere quam psalmus poenitentiae recitando percurretur. Sanè multa in hac regione, more institutoque Societatis peregrinandi opportunità ostenditur, cum plures circa populi, quibus nondum Euangelicæ veritatis lumen affulsit, sibi tandem affetri à nostris hominibus postulare non desinant. Hæc ille.

IN Valle præterea Sanctæ Mariæ, cui Hispanus improprio vocabulo à vitibus cognomen indiderat, quod frequentibus scætet labruscis, quantum conuicti animis Socij potuerunt, tantum operæ, & laboris cõtulerunt, ut vinea Domini in syluam, nemusq; degenerans, syluestris, & erratica esse desinat, & gratos fidei, ac pietatis racemos induere incipiat. Ea regio cõmodior visa est deducendæ coloniæ, quippe quam excelsi, ac furtiosi montes, à Septentrionali plaga excurrentes, ab intemperatis Boreæ flatibus opportunè defendant, à meridie latè patens circumdet agri planities. Terrâ temperatõ Solis ardore modicũ intepescens, mirã coeli clementia, ac fecunditate globalum, creditã sibi semina multiplici prouentu restituit. Ex vnõ maĩtij granulo quinque aut sex proceritatis eximiæ arundines enascuntur, quarum singulæ ut minimum duas sustinent spicas, spicæ rursus singulæ crasso operculo grana fouent plura trecentis; nucleus duntaxat vnus quinquaginta cucurbitas fundere consuevit; melopeponum magna est copia, albi, melini & crocei coloris inusitatæ suauitatis: ad condiedos cibos vtuntur incolæ herba croco, qui ex Europã conuehitur, colore, odoris fragrantia, sapore, bulbo, & capillamento simillimã; materiam cæduam densissima sylua suppeditat: flumen piscosum, & amœnum pinguibus artibus interfluit: ad hæc duæ ac viginti perennes aquarum caturigines, desuper in subiectam agri planitiem, pluri-

bus aquarum diuortijs, arbitrato incolarum in hortos, & fata deriuantur. Gens robur in membris, in animis feritatem, & audaciam ostentat; perfidiam, & subdola mendacij tegumenta, rapinam, & auaritiæ fordes detestantur; nulla claudendis foribus fera, nulla repagula, domus patentes relinquuntur, omnia bona fides tutatur; vt aliorum subleuent egestatem fortunas effundunt, dices omnia communia: ad arcendas temporum iniurias stipitibus in terra defixis, catastromata radicibus, atque herbis singulari artificio tecta suspendunt, tanta duritie, ac densitate, vt nullo imbrium, atque ventorum impetu penetrari possint, imò ad continendos asseruandosque liquores, atque ad reliqua vitæ ministeria, ex ea materia polita vasa sibi concinnant. Viris sagittandi peritia præcipua laus, eam in venatu ceruorum, quibus abundat regio, magnopere exercent. Mulierum magna in vultu modestia, ceruorum pellibus plerumque induuntur, ora rubrica, miniõve inficiunt: Hispanorum amicitiam coluit gens, & in pacis bellique studijs perutilem, & fidelem operam illis nauauit. Duobus Sacerdotibus, qui genti adiuuandæ perseueranter insudant, ijs fructus hoc anno respõdit, vt barbari ferarum more vitam propagantes, eorum officijs, & charitate cicuratis, relictis conuallium latibulis, in oppidum, ea in valle situm magno numero confluentes sedes ac domicilia posuerint. P. Nicolaus Arnaya, qui Socijs huius residentie præest, per litteras nunciauit, homines mille sexcentos eò iam cõuenisse, & (vt erant Caziziorum studia, ac certamina, familias suas, & omnes suæ obnoxios potestati, primo quoque tempore in vallem deducendi) certam ipem Patribus esse, paucis mensibus minimum quinque hominum millia eò conuentura. Ducentos omnis ætatis à se in nouo oppido vitali aqua baptismi fuisse perfusos. Inde se ad accolæ fluminis Nafarum progressum, ingentem

tem barbarorum multitudinem sparsis domicilijs habitantem, & gestientem baptismi desiderio inuenisse; conquirentem per casas languentes morbo, centenarios aliquos senes baptismi cupidissimos voti compotes continuo fecisse; ingentem hinc Euangelio, & nostri instituti muneribus patefcere portam.

PATER verò Franciscus Arista, vnus ex his qui in Valle rei Christianæ, & oppidi incrementa procurant, verbis dolore plenis, suam, ac Socij solitudinem queritur, sibi de metiendis areis vrgendo operi, confirmandis in ciuili societate barbaris, ad eundis, ac fouendis ægrotis, quærendo per latifundia conuenarum victu occupatos, breuissimum tempus superesse ad peregrinum barbarorum sermonem addiscendum, & cæteros Indorum pagos more nostro lustrandos. Si subsidia Patrum mittantur, quatuor oppida modico labore, & breui tempore coalescere posse, vt initia se dabant magnæ frequentia. Primum appellant S. Annæ in regione salubri, & omnibus ad vitam tolerandam opportunitatibus satis instructum, ibi si congregatis pauci admodum Cazizij, qui supersunt, se adiungere pergant, quingentis familijs Indorum oppidum cultum iri affirmant. Secundum oppidum distat à valle S. Mariæ leucas vnde viginti, felix regio omnis generis frugum copiam in mortalium vsus magna vbertate fundit. Tertium est Cazizij cuiusdam potentis (Aztlan appellant:) tractus ille scatet syluosis montibus, & gaudet irriguo solo, semperque viridi herbarum vestitu vernante. Quartum à sancto Francisco appellationem accepit, trecentis & quinquaginta familijs Christianorum censetur, propter interfluentis amnis & proximi lacus opportunitatem, ac coeli, soli que benignitatem, abundat piscium, ac fructuum copia. Postremum distat à Valle leucas triginta, à quatuor paludibus vulgus appellat, in ea regione solum ex ijs, qui Pa-

tribus significarunt, teneri se magno desiderio baptismi, duo millia familiarum ad condendum oppidum facili momento adduci posse non ambigitur. Cæterum, quin valle S. Mariæ congregati sunt barbari, bis singulis diebus in atrio Aedis sacra summam Christianæ legis docentur, diebus festis huic exercitationi nulli deesse permittitur: deinde Sacerdos ea, quæ ad summam redacta, Mexicana, & patriæ gentis lingua recitata sunt, vberius explicata iterat, inculcatque præcipuis locis insistens varia denique præcepta colligit, & rudes, atque inconditos barbarorum mores paulatim ad elegantiam, atque humanitatem traducit: nec verò labor hic frugis, & utilitatis est expers; nam præterquam quod patefacta Christianæ religionis pulchritudine, oppidani omnes baptismi desiderio efferuntur, profana cantica à nocturnis choreis, quas circum rogos avidissime exercent, arcuerunt, diuinis laudibus accersitis, & superstitiosos ritus, diuinationes, vagosque concubitus ita ex animo abiecerunt, ut nihil in eorum moribus appareat, quod nobis sollicitudinem aliquam, aut mali suspicionem possit afferre. In sacrificio Missæ pristino Ecclesiæ ritu, ubi Euangelium recitatum est, catechumeni templo iubentur excedere, & cum Ethnicis in atrio præstolantur baptismi sacros: celebrioribus festis supplicationes circumferuntur, præeuntibus Neophitis, & roseis fertis redemptionis insignia redimita præferentibus; sacris deinde mysterijs tacita vultus reuerentia, & animi attentione celebrandis, haud obscure testantur, altè sibi in animis inleuisse Christiana præcepta. Quando puer aliquis vita functus efferendus est, pueri catechumeni roseis corollis redimiti, Christianæ doctrinæ rudimenta corcinentes, domum defuncti conueniunt: si verò aliquis adulta iam ætate decesserit; reliqua etiam popularium turba sub grandi Crucis vexillo procedens, magna pietatis significatio

ficatione funus deducit, & reliquas sepulturæ coerimonia-
 nias veteranorum more prosequitur. Faxit Deus, vt oppi-
 da illa, quibus condendis Patres tantopere insudant,
 prospero euentu coalescant, vt facilior, atque expedi-
 tior sit in his tractibus Euangelij prædicatio, & ad signa
 Christi transeuntes, relictis dæmonum stipendijs, alij,
 atque alij deinde sequantur.

MISSIO S. LVDOVICI
 PACIFICI.



XEMPLA rerum quas Nostrorum indu-
 stria Dei bonitas hoc anno perfecit, penuria
 crediderim fidelis tabellarij non sunt itato
 tempore inde transmissa: aliqua tamen eorum
 ex litteris priuati Sacerdotis breuiter collecta refere-
 mus. Didacus Torres Patri Prouinciali salutem. Didaco
 Monsaluò Mexicum profecto coactus sum Cicimechis
 per interpretem statis temporibus tradere Christiana
 præcepta, Mexicanæ, & Otómíticæ linguæ peritis, quo-
 niam & earum linguarum consuetudinem nactus eram,
 catechismum luculentius explicui, singularem haurie-
 bam animi lætitiã ex sedulitate, qua Cicimechæ ho-
 mines alioquin certaminum cupidi, ad discendam Chri-
 stianæ legis summam singulis diebus ventitabant, & ad
 expianda peccata, etiam qui nunquam confessi fuerant,
 aures sibi præberi postulabant. Communicarunt ex ea
 natione nonnulli magno vtique eorum, & spectantium
 gaudio. Ad bubulcorum, & argenti fossorum colluuiem,
 quæ ex proximis pecorum stationibus, & argenti fodi-
 nis, huc affluere consuevit, sermones de rebus diuinis ha-
 bere cœpi, magna eorum gratia, & vtilitate non modica
 anima

animarum; nam ex ea fece nonnulli elutis totius vite
 sordibus, è coeno vitiorum Deo adiuuante emerferunt.
 Quarto mense cùm rediisset Mexico P. Didacus Moe-
 salius, continuò ad oppida vicina lustranda profectus
 sum, ad Hispanos bis singulis diebus festis conciones
 circumfusa magna plebis frequentia habere, diebus ve-
 rò profectis Mexicani, & Otonitani nominis Indos fami-
 liaribus colloquijs officij monere non destiti: nonnulli
 cum noxis animi apertas inimicitias posuerunt. Magnum
 in his Regionibus Societatis nomen, magna charitas,
 nusquam me Parochus cum popularibus precibus vi-
 gere desijt, vt illis deprecator adiungerer apud P. Pro-
 uincialem, quo sibi aliquem è Societate Euangelij præ-
 conem in plures menses impetrarem. Res domestica Il-
 lustrissimi Proregis liberalitate opimè constituta, tem-
 plum, & cubicula, & officinæ sat commodè nostris vi-
 bus concinnata, sacra suppellex aucta preciosa veste,
 aurata pyxide, hydraulo, & alijs musicæ instrumentis,
 quæ aureis bis mille atque ducentis æstimantur. Creuit
 etiam oppidum tectorum frequentia, impensa regia, vt
 barbari Cicimechæ multo nostri Sacerdotis, & Hispani
 Ducis labore ex interiori regione deducti haberent, quò
 se reciperent. Magnum momentum attulit ad continen-
 dam in fide, & officio barbaram gentem, & augendam
 hominum religionem reditus decem adolescentium, ac
 puerorum, qui mensibus quinque in Tepotzotlano, &
 Mexicano Indorum contubernio transactis: tandem in-
 structi musicæ rudimentis ad patrios lares, & incunabu-
 la redière, eò maiori parentum lætitia, quod dolo, ac
 fraude Nostrorum in seruitutem abductos pueros me-
 tus, & suspicio incefferat: & nunc tiliarum, vocumque
 concentu, & hydrauli temperato sono sacrorum myste-
 riorum reuerentiam popularibus augent.

PHILIPPINARVM VICEPROVINCIA.

A N N O superiore longissimæ videlicet navigationis incommodo, quæ Deus Optimus in remotissima Regione, & in diuerso vel aduerso potius Philippinarum orbe, Nostrorum laboribus, & vigilijs effecisset, immenso disuncti pelago ferius accepimus, quam vt ex litteris Sociorum collecta rerum capita ad Paternitatem V. maturè transmitti potuerint; id videlicet in causa fuit, cur veluti renascentis in his tractibus Ecclesiæ incrementa, & fruges Nostrorum collectæ laboribus; in lucem Europæ, reprehensionis prope conuitio efflagitantes, prima mensis nostræ libamina non prodierint; nunc verò ea duorum annorum congesto manipulo pleniora damus, signa videlicet industriæ, & contentionis fraternæ, & opimæ fertilitatis prædicationis aratro inuersæ telluris.

T R E S & viginti Sacerdotes in Collegium dumtaxat vnum, & Sedes vndecim distributi, cum Fratribus domestici adiutoribus ministerij duobus atque viginti, maioribus quàm pro numero viribus, & animis factam Euangelij sementem coluere, nequaquam propriæ utilitatis, & domesticæ disciplinæ immemores; nam præterquam quod ad solemnes spiritus exercitationes, statis horis ad campanæ pulsum, tempus è summis occupationibus eripiunt, omnes in Collegio Manilano, & Zebuana Sede aliquorum dierum tempestiuo successu, cæteris posthabitis curis, in suum se cubiculum abdiderunt, vt contemplationis otio suum vitæ genus, & proximos adiuuandi rationem coram Deo diligentissimè reputarent,

morum

morumque labes, & consiliorum errata corrigerent. Hoc quasi pastu Nostrorum mens saturata, vix dici potest, quanto sit alacrior, & vegetior effecta, ad omnium officiorum munera ritè, & cumulatè exequenda; in suas deinde stationes reuersi, experti sunt quàm minimè fictis animis diligentur, & quanta cura, & fide eorum mandata à Vicarijs, & popularibus exhauriantur; nullam enim officij partem Patribus absentibus omisere Neophiti redeuntesque effusa animi lætitia crudele dissidium, longissimi temporis absentiam, amicissimè querentes, exceperunt. Quotidiano verò Sociorum cultui, victusque, & sacrorum apparatus, Regis Catholici codicillis abundè prouisum est; quibus Prætori seridè præcipitur, vt tertia duntaxat pars sumptus Euangelij Præconibus alendis, ornandisque templis, à Neophitis exigatur: reliquæ partim à Toparchis, partim ex arario Regio conferantur. Nunc singulas sedes percurramus.

COLLEGIUM MANILANVM.

VERVNT in Manilano Collegio Sacerdotes seni, & his plures quaterni Fratres, ex quibus septem in Tirocinio versati vnà cum cæteris per arctâ virtutis viam, domandis corporibus, & frangendis animi cupiditatibus bellè procefferunt. Creuit nostrarum ædium species, & ambitus cubiculorum ordine, elegantis structuræ opere, & excelsa turri ad summum perducta, vnde patet ad ingentia maris & terrarum spatia prospectus, relaxandis animis appositissimus. Sacra præterea suppellex collucet priorum muneribus, inter quæ primas tulit pensilis ex argento
lycni

Lycnucis vastæ magnitudinis: studiis ideò certant Socij
 vt benefactis gratiam cumulatè rependant. Conciones
 in nostro templo ad Prætorem, Regiumque Senatam, in
 cœnobio virginum, in foro, & sub signis militum cate-
 chismi explicationes frequentissimæ fuerunt. Ex ea se-
 mente vberes videlicet animorum fructus, viri principes
 aliquot, & inter eos Generalis Classis Præfectus spiri-
 tualibus exercitationibus apud nos animum excoluere.
 Trecenti à duobus Sacerdotibus de yniuersa vita confi-
 tentes auditi: multorum egestate subleuata, periculis a-
 nimorum occursum est, & peccatorum materia sublata.
 Sordidæ præterea vsura, quæ in aleæ ludo à militibus
 magna iniuriâ diuini nominis, & animarum iactura exer-
 cebatur felici euentu discussa. Vir opulentus & clarus ne
 dirimeret nuptias Indæ mulieris quam turpiter deperi-
 bat, non solum à lite, quâ marito pellicis parabat inten-
 dere, nostri Sacerdotis suasionem retractus est, sed etiam
 ad salutarem peccatorum detestationem, & tantam præ-
 sumpti animo sceleris poenitentiam incensus, vt iumentum
 ritu clitellatus & capistratus genibus tota yrbe reptauerit,
 dicente amico, certa per interualla furas, & femora
 poenitentis loris cædente. Mulier quòd à coniuge malè
 haberetur, in tædium vitæ, & vltimam desperationem
 redacta, mari se mergere parabat, sed diuinitus immis-
 sa voce benigniora deinde marito officia promittente, ab
 incepto destitit, remque Sacerdoti Nostro communi-
 cavit: auditis fecit fidem, iracundia mariti in facilitatem
 morum repentè conuersa. Quæ in Parthenone latent
 sacrae virgines, Nostrorum alloquiis, & adhortationibus
 arctioribus se legibus, & institutis astringunt: nec desunt,
 quæ in eam sanctitatis frugem adoleuerint, vt post no-
 cturnam Psalmodyam, castigationi corporis, & rerum di-
 uinarum contemplationi duas horas insistant. Harum cõ-
 munitu & exemplo ad honestatem morum; & vitæ probi-
 tatem

tatem accenduntur Matronæ, quæ ne absentibus maritis, ætatis flore prodigæ corporis sui, ad suum, & aliorum exitium per libidinem abuterentur, Nostrorum consilio & opera in caueam cœnobij coniectæ sunt.

GYMNASIVM humaniorum litterarum augent quotidie discipulorum numero, qui magistri cura perurgili arcentur ab illecebra peccandi, & virtutis emulatione singuli accenduntur. Testati sunt auditores suum profectum cultis omni arte tribus dialogis, quibus Episcopos Manilam classe delatos exceperunt; Antistitum colaudatione, & plausu totius Ciuitatis.

IN salutem Indorum tuendam eò libentiores Socij curas suas, & vigilias intendunt, quò magis sitientes aures nostris concionibus afferunt ipsi, & maiori fiducia arcana suorum pectorum nobis patefaciunt: Nostris enim concionatoribus adeò delectantur, vt affluente hominum multitudine templum redundet; aures petentium numerus adeò magnus, vt vnus dumtaxat sacerdos relegentes antea vitæ curricula confitendo non pauciores trecentis audierit. Sodalitium verò latens sub præsidio, & vmbra Sanctorum, nõ latet in tenebris, & vmbra socordiæ, sed igne charitatis, & mutuæ æmulationis subditis facibus incensi sodales, bonorum operum lumine ad pietatem, & religionem ciuibus suis prælucent; quippe qui non solum ægrotantibus præsto sint, & egëtibus subsidio veniant, sed errantes à via virtutis ad sobrietatem morum reuocent consilijs opportunis. Illorum duo inducti à nostro Sacerdote de dignitate & præstãtia Christianæ religionis & insania, & vanitate idolorum sermonem miscere cœperunt, vt à foemina quadam possent audiri: ea verò Neophitorum disputatione sic permota est foemina, ex occulto audiens, vt ad Nostros baptismi causa, se sine mora contulerit, auita superstitione, & manium Deorum cultu eiurato: nec ita multis postmodum diebus

diebus euolutis, coniugem Sinam, quod propè miraculum fuit, in suam sententiam, & vitæ consilia perduxit. Mulieres præterea binæ, quæ inanum Deorum sacris procurandis, seminandis inter populares portentosis erroribus magnas edebant clades animorum, Sodalium cura patefactæ, & in custodiam datæ, quæ Christianis imbutæ præceptis, quæstiosa relicta superstitione, ad Christum postliminiò redierunt. Earum altera à Dæmone sæpius se per horribilem speciem obiiiciente, & micantem pugionem minaciter intentante, ad defectionem sollicitata, datam Christo fidem egregio constantiæ testimonio seruauit, nullis cedens terrificis monstris. Multis tamen incussit terrorem salutarem mulieris cuiusdam infelix interitus, quæ marito in viam se dante, cum accepisset, dedissetque vicissim seruandæ coniugalis pudicitiaæ fidem, dira composita execratione in eum qui falleret, immemor fœderis, & sacramenti fidem violauit, sed non impune: nam in eodem turpi concubitu tam ipsa, quam mœchus repente exanimati poenas adulterij dedere. Sed hoc lætum accidit Neophito, qui vt locustas abigeret in media segete crucem sanctorum lipsanis ornatam erexit, & respondit hominis fidei euentus: nam locustæ omnia circum foedè vastantes, nihil ex ea segete tetigerunt. Neophitus fidem suam grati animi testificatione, & charitatis officio cumulauit; plenam quippe quam fecit obrizæ messem pauperibus benignè distribuit. Cæterum qui in contubernio educantur adolescentuli sedulitate discendi, & studio pietatis spem nobis faciunt ingentem, fore vt nostra consilia, & labores in adiungendis ad fidem, & obsequium Christi gentilibus solerti, & vtili industria prosequantur.

ZEBVANA SEDES.

TEMPLVM Hispanorum sub nomine & patrocinio D. Ildefonsi excitatum & ad summum hoc anno perductum, & ingenti hominum gratulatione in eo Christiano ritu litari coeptum, sacriq; cineres pulcherrima supplicationis pompa collocati octava ab Ildefonsalibus die, & quia Indis Ternatensibus, Visaijs, Iaponijs, & Sinis capiendis huius templi alioquin satis ampla capacitas non satis futura videbatur, templum alterum priori contiguum, maiori laxitate constructum est, vbi ea nationum colluies pari labore & vtilitate, præceptis Christianæ Religionis imbuatur. Sex è nostra Societate homines totam eius laboris sustinent molem, qui partim ærarij regalis impensa, partim ciuium liberalitate affluunt rebus ad victum cultumque necessariis. Episcopo ex Augustiniana familia vtimur nostri ordinis amantissimo, & de ornamentis & commodis Sociorum mirè sollicito, omnia de eorum sententia moderatur, & frequentibus concionibus in nostra æde & curiali templo adest semper, ornatuque Pontificio cum alijs diebus, tum præcipue die Circumcisionis, sacris operatus est, in nostra æde. Sexta quaque feria totius Quadragesimæ voluit interesse publicæ verberationi, & prima hebdomada vehemèti sermone cum excitasset ad poenitentiam hominum animos, bonus utiq; pastor, & tali nomine, ac munere dignus, suis ouibus exèplo præiuit, flagris se acriter cædens: reliquis verò, quæ secuta sunt, ferijs huic religioni destinatis, quoniam animaduertenter nostram ædem multiplici fenestrarum ordine, vt in regione caloribus torrida patientiorem esse, quam poeni

S. poenitentibus opus esset, supplicationem tunicatorum instituit ad templum Virgineo concep tui dicatum, eamque nudipes longo intervallo profecurus est, & dum verberatio in templo peragebatur a populo, ipse se in camera sacri instrumenti acerrimè flagellavit. Elementario ludo accessit Episcopi rogatu classis latinicatis, non mediocri auditorum numero, qui pro studiorum initio actionem dedere speciosissimam, in templo maximo, trium horarum spatio, eo maiori civium admiratione, & voluptate, quo diutiùs bellorum imbuti certamine mitioribus litterarum exercitationibus, & Musarum cantu caruerant: & fanè labor hic instituendæ Zebuanæ iuventutis magnopere instituti nostri rationibus congruebat, ut obuiam iretur licentiæ, libidini, atque alijs lubricæ ætatis pestibus, quas ut in affluenti rerum copia, & voluptatum illecebra tenera ætas, cœli, soli que benignitate corrupta ex barbarorum, & militum luxu contrahebat. Hospitales quoque agrotorum domus frequenti sunt adiutæ subsidio, & pauperibus, quibus plena sunt vrbs compita panem quaricantibus, constituto Nostrorum opera obrizæ deposito, opportunè subuentum. Collapsum Eucharistiæ Sodalitium erectum; & in eo loco positum, ubi spes est staturum bonorum operum adminiculo, & benemerendi sedulitate. Præcipuæ tamen & lectiores fruges ex Indorû nouali: nã ut omittã ingêtes hominû concursus ad cõciones, sacramêta, catechismi explicatione incensis ad religionem animis affluentiu, cõfidentiû is animi sêsus ac dolor est, ut Sacerdotes ad commiserationem, & lachrymas prouocent. Neophitus quidam suorum scelerum foeditate pendenda adeo in semetipsum excanduit, ut accidens ad genua Sacerdoti multis proximè astantibus elata voce, quidquid fœdi commisisset expromere coepit, & inconsulto Sacerdote per vias publicas tanto ardore animi, echinatis globis in sua terga sauit, ut atro-

citate carnificinæ viribus defectus, conciderit penè exanimatus, nec ea sanguinis profusione satiatus, postera luce pallidus, & exsanguis, perinde, ac si diuturno morbo iactatus decubisset, Sacerdoti apparuit, adeò ad sui verberationem irritato animo, vt ab repetendo flagello non nisi obiecta religione, deterreri potuerit. Mulieres quæ in iuuentæ licentia, ad castitatis laudem nitantur, & voluptates, quæ sunt cum Venerea libidine coniunctæ emisso perpetuæ continentia voto repudiauert, in hac etiam sedè non defuerunt, & ita propositi tenaces, vt ne quis sibi hunc florem præriperet, multa indigna pertrulerint. Ex iis quædam, cum vicisset impuri preces, pollicitationes, & minas, teterrimo quoque mendacio in inuidiâ Domini viri Principis vocari, & ab eodem etiam ad stuprum sollicitante multis modis vexari, quàm aliquam suo pudori maculam aspergere maluit, quod diceret nihil turpe, aut lasciuum admittendum esse ab ea, quæ omnia Dei oculis subiecta credidisset. Alia virum sortita Europæum sordidissimi ingenij, constanti, & excelso animo reiecit argentum, quo maritus impudicum instruxerat, ad coniugis pudicitia explorandam. Cæterû die qui resurgenti Domino sacer est, sacro fonte renati sunt plures, quos magna hominû gratulatione Episcopus vitali aqua perfudit: id quod sæpius per anni tempus fieri consuevit. Nec defuere, qui cum à limpidissima vnda, absterfa originis macula, puri, ac nitentes emerfissent, citius ab humanis erepti sunt, quàm ex terrena contagione peccati labem contrahere potuissent.

SEDES

SEDES TAITAIANA.

EDEM hîc habet Sacerdos vnus cûm Fra-
tre coadiutore gloriosi laboris consorte; sed
vtriusque is conatus, & ardor in facienda
Euangelij femente, vt æquarint labores, & fa-
cta multorum. Excurrût in tria finitima oppida, quæ no-
uis quotidie cõuenarum familiis ex asperis & inaccessis
collibus, & anfractibus huc migrare coactis, speciem ac-
cepere magnæ frequentiæ. Pars maior laboris in expli-
candis fidei capitibus: pueri bonæ indolis domi apud nos
educantur; & religionis præceptis legendi, ac scriben-
di peritia erudiuntur, qui semel in hebdomada, prælato
Crucis signo cum modulatione Christianæ Doctrinæ
oppidum circumeuntes, validiorem ætatem ad Ca-
techismi explicationem suis è domibus euocant. Ex
ea puerorum manu, gnaui & solertes eliguntur Censo-
res, qui quotidie per oppidum discurrentes suos æqua-
les cogunt in nostras ædes, & rudimentis Christianæ vi-
tæ scienter informant. Priore anno præter pueros in-
fantes plures trecentis sacro sunt abluti baptisinate,
confirmata iam ætate viri, mulieresque trecenti septua-
ginta sex: & dant Neophiti fidei, & Religionis suæ
haud leuia documenta, prædendis, & cõminuendis
idolis, deferendisque ad Patrem fraudibus Catalona-
rum (veratrices sunt hæc inanium deorum Sacerdotes)
frequentandis Ecclesiæ sacramentis, petendisque in re-
bus asperis Christianæ religionis auxiliis; tentati mor-
bo, Sacerdotem ad constendum sine mora conueniunt
lustrali aquæ, & consuetis Euangelij verbis tantam vim
inesse credunt ad persanandas corporum ægriitudines,
vt languidi plerumque triginta circumstant, ea præsidia

præstolantes: Nonnulli vano excusso terrore, quem
 crificuli dæmoniorum bonorum iacturam, & moram
 ad sacras epulas accedentibus minitantes incusserant,
 uino se pane reficiant. Coaluit iam ex Neophitis spec-
 tæ probitatis Sodalitas magnæ in omnes partes vtili-
 tis; eius quippe alumni non solum munera, quæ misera-
 cordiæ dicuntur, obeunt, decumbentibus ad eundem
 confirmandis migrantibus suis è corporibus animis,
 defunctorum cadaueribus humo ritè condendis; sed
 Patri denunciandis omnibus iis, quæ fidei propagationi
 impedimentum possint afferre, inuitandis ad frugalita-
 tem, Sacramentorum vsum, & vitiorum derestationem
 popularibus, expeditam & facilem reddunt Euangeli-
 prædicationem, & curam animarum. Quare cum ij ho-
 mines ex instituto adsint animam agentibus, & funera
 prosequantur mortuorum, sacrificia, & libationes, quæ
 instigantibus ariolis ad propitiandos decumbenti com-
 mentitios deos fieri passim contueuerant, & intempe-
 stina conuiuia; ac largæ compotationes quibus exci-
 piebantur redeuntes à funere, pia Sodalium contentio-
 ne sublata sunt; contulitque opportunè Deus viro Pri-
 ncipi, & maximo oppidanorum Magistratui prætium per-
 fidia sua; qui in morbi atrocitate opportunè monentibus,
 vt abiecta antea superstitione, vnum Deum Chri-
 stianorum peccatorum confessione precaretur, fati-
 diose neglectis, remediũ affectæ valetudinis ab inanibus
 diis, casis victimis cū procurasset, amisso vitali ca-
 lore, altero latere obriguit, & ad ostentationem diuinæ
 iustitiæ sex annos per summam animi ægritudinem, &
 corporis dolorem exegit. Alia foemina integrum an-
 num sauo timore dirutam faciem remedijs omnibus in-
 casum adhibitis cū habuisset, ad Patrem se contulit
 animi dubia memorans, sibi per quietem augustissimam
 cultu Reginam obiectam se uero vultu increpantem
 quod

quod opertum sceleribus animum Sacerdotio pateface-
 re tamdiu abnuisset, rursusque pollicentem hilari fronte
 si confiteri peccata, & sacris adesse, præsertim diebus
 sabbati animum inducat, omnia ex animi sententiâ euen-
 tura. Nec fefellit fidem veritatis mater: nam cum foemi-
 na ex consilio, & adhortatione Patris confessionem to-
 tius vitæ fecisset, & audiendæ liturgiæ cursum cœpisset,
 vires & valetudinem omnino recepit. Sed non est omit-
 tenda Neophitorum religio, qui obrizæ semina ante-
 quam terræ mandent, corbis in templum adducunt,
 ut ea Pater linteatus aspergat aqua lustrali: & hoc anno
 precibus Patrem compulerunt, ut obrizæ iam herbe-
 scentis fata lustraret, & excitato prægrandi Crucis ve-
 xillo aduersus temporum, & locustarum incommoda
 muniret. Verùm ingruente locustarum peste, cum ex-
 trema calamitas segetibus, & populis annonæ caritas
 immineret, Dei genitrici conceptæ sacrum quam maxi-
 mo apparatu vouerunt, eius videlicet ope noxia fugata
 locustarum examina, & vberes fructus percepti. Quare
 Neophiti ut se exsoluerent voti religione; Virgineo cœ-
 tep tui festum; sacrumque diem ingenti celebritate
 peregerunt, & effusa liberalitate non solum
 priuatorum necessitati opem tulê-
 re, sed in publicas Reipub.
 vtilitates è suis fortu-
 nis erogarunt.

SEDES BOHO- LENSIS.



VI in hac Insula Christiana sacra amplexi sunt, in quam se dedere Christianae Religionis pietatem: toto animorum feruntur impetu; & ut sunt propensi ad Christi fidem Insulanorum animi, spes est non leui excitata momento, non solum teneram, & confirmatam aetatem, sed deuexam, atque praecipitem, quae difficilius dedoceri solet patrias superstitiones breui tempore in Christi D. ditionem concessuram. Ex adiacentibus quoque insulis Sichioris, & Dapitanis; quarum incolae ex Christianis, eò incertum quo casu delatis Christianae legis summam acceperant, ad Patres venerunt gentis primores, suo & popularium nomine, enixe precantes, ut in suos populos Euangelij causa excurrere ne grauarentur. Sed quia in ea Sede duo duntaxat Sacerdotes magno Neophitorum numero praesunt, Dapitanis incolis bene sperare iussis, ad Sichioris insulam duarum leucarum Euripo disiunctam Sacerdos vnus nauigauit, & in molli ac praeparato ad Euangelij satus nouali semina Euangelij sparsit, spe in posterum vberimae messis. In hac Boholis insula aliud templum excitatum est ad ostia magni fluminis: cui a lupo Hispani nomen dedere, vbi propter accolarum frequentiam, & ingenium multiplici foenore verbi semina Domino restituntur. Magnum catechumenorum certamen, & aemulatio in ediscendis fidei capitibus, ut baptismo quam citissime lustrentur. Neophitorum tanta cura in custodienda animi puritate, ut in eis nullum veteris contagionis, & vitae in supersti-

perstitutione actæ vestigium appareat: etenim à Patribus interrogati, hocne vel illo se flagitio polluerint, respondent, se quondam, cum in superstitionum tenebris obcæcati iacerent, haud semel in eo cœno volutatos, sed postquam Christo nomina, & fidem dederint, nunquam tam nefarium facinus animo præsumere potuisse, vt contempto numine fallentes fidem ad ea lustra redirent. Iam verò hominum pietas in celebranda Passionis, & Resurrectionis Domini anniuersaria recordatione maior fuit quàm vt in Neophitis iure requiras. In hac etiam insula haud semel confirmauit Deus felicibus euentis Neophitorum fiduciam in vsurpanda aqua lustrali, cæterisque Ecclesiæ præsidijs, cum morbo, aut alio vâletudinis incommodo afflictantur. Sanè puer annos natus non amplius tres (vt reliqua prætermittamus exempla) cum ad Patrem venisset æstuans febrî, genibus nixus salutarem aquam petiuit, eaque epotâ depulit ardorem febris, & ciborum fastidium. Sed &

Ethnicus, cum ad cibum piscem venenatum imprudens adhibuisset, amuleto probatæ virtutis nullo euentu in medecinam adhibito, tandem lustrali aqua vim veneni repressit.

B V T V A N A
S E D E S.

DVO Sacerdotes cum Adiutore vno ab infelicibus superstitionum vepretis ad læta Domini pasqua traducendis errantibus Barbarorum gregibus perseveranter infudant: quare audita Pastoris voce, alij atque alij quotidie se ad caulas Domini adiungunt; atque inter alios, nobilis senex Chian nomine, qui familiari Patris sermone, quasi diuinitus immissa voce, alto excitus vitiorum verno, lætam Euangelicæ veritatis lucem aspexit, mox in frequenti popularium corona, accidens ad genua Patris, baptismi aquam efflagitavit. Cæteri baptismi renati obeundis pietatis, ac religionis officijs, sacramentis vsurpandis, tractandisque diebus pœnitentiæ dicatis, supplicij causa flagellis, restantur non temerè, & inconsultò, aut humani commodi causa se Christiana sacra complexos. Dinasta quidam Insulæ ditissimus, etsi nondum patrios ritus, & sacra deseruit, magno tamen honore Sacerdotes nostros prosequitur, & eorum cõmodis, & incolumitati diligentissimè consulit. Quare semel iterumque cum armata domesticorum manu in ædibus nostris apparuit, timorem Patribus demens, quem occursantes littori, prima specie prædatorij lembi fecerant, præsentem suam opem in omnia pericula Patribus non defuturam magnificè iactans.

S E D E S

SEDES CARA- GARANA.



SITA est in Insula Leite, quæ coeli clementia, ubertate frugum, sylvarum frequentia, & fluminum copia reliquas Philippinas longo superat interuallo. Sacerdos vnus cum Fratre Coadiutore euellendis superstitionum lethalibus fibris, & inferenda Christiana religione tam felici laboris successu operam dedit, vt iam nefas sit inter Insulanos aliquid in sermonibus vsurpare, quod vel similitudine ad superstitionem accedat: ebrietatis verò semina elisa, & quæ eam comitatur venerea cupiditas ex Indorum moribus pulsa. Contrà verò in Sacramentorum vsu, & supplicijs voluntarijs ea sedulitas, & constantia, vt solemnitas sit pluribus hebdomadaria animi expiatio, & verberatio voluntaria. Catechumeni baptismi haud segnes candidati, numerantur omnes incolæ trium oppidorum, quæ curæ, ac fidei Carigarani Sacerdotis commissa sunt. Itaque nunquam ea oppida lustrat, quin plures inueniat catechesi sufficienter instructos, & aptos ad excipiendam Baptismi aquam salutarem.

OLA N

OLANGALANGANA SEDES.

PRIORE anno ad exitum peruenit templum, quod superioribus Neophiti inchoauerant, & ut sacris vsibus dicaretur, ex finitimis oppidis confluente hominum frequentia, magno musicæ apparatus, & religioso Indorum tripudio, ac festa saltatione; die summæ Triadi sacro primum Missæ sacrificium ritu Catholico celebratum est. Eodem anno euocauit Dominus ex hac vita Patrem Cosmam Florem, ut ei laborum, quos in proferenda Christi fide pertulerat, præmia persolueret. De eius obitu ut certior faceret Hispanus quidam Rectorem Zebuanæ Sedis, litteras ad illum huiusmodi dedit: Non dubito quin litteræ præter opinionem Reuerentiæ Vestræ reddendæ fuerint: nec mirum cum earum argumentum præter opinionem nobis dederit mors optimi Patris Cosmæ, quam ei assidui concionandi, & peregrinandi labores suo magis, quam huius Ecclesiæ tempore attulisse haud dubiè crediderim. Etenim oppida suæ curæ commissa ita lustrabat, ut secunda feria ex Olangalangana Sede profectus Tinguam pedes veniret: ibi feria tertia confecto sacro domum redibat, quarta feria Vgraium pergebat, & feria quinta sacris operatus Salum adulta nocte perueniebat, & die sequenti Olangalangum repetebat, ut die sabbati in proximo vico Tambi Christiano ritu litaret, & dominicam diem, cum potuisset, in excolendis omni contentione Neophitis, & catechumenis erudiendis Alingaijonem postera luce pergebat; atque eundem rursus ordinem repetens reliqua deinde oppida constan

constanti labore reuisebat. Ex quo facilè intelligas quicquid acceperit incrementi Christiana res in Olangalangano territorio, id omne vigilijs, & itineribus Cosmæ constitisse: ille enim Zaçatecis in noua Hispania, natus annos vndeuginti, nomen dedit Societati, natusque non mediocrem Philosophiæ, ac Theologiæ cognitionem, & Mexicani sermonis consuetudinem; ad Philippinas insulas superiorum nutu cum peruenisset, tanto animi conatu in Indorum salutem incubuit, vt tertio mense publicè verba scienter, & expedite facere ad Indos linguæ Visaija potuerit, eoque instructus præsidio, aperti hominibus cœli, nuntium primus Leitæ insulæ barbaris attulit. Erat in illo præter alia diuinitus infusa carismata, ad demerendos animos mira facilitas. Itaque anno ætatis vigesimo octauo planè immatura mortè præreptum Hispani, quibus mirè charus erat, effusè luxerunt vt parentem, & in eius funere acerbissimas lachrymas dedere. Neophitorum verò, qui plangor omnium? quæ complorationes fuerunt? dissonis clamoribus more patrio, lamentis & querelis omnia complentes, interiisse diuinæ legis interpretem, pauperum præsidium, ægrotorum solamen, & medicum, communem omnium Patrem miserabiliter cecidisse querebantur. Patres Carigarana, Palana, & Dulanganæ Sedis maturè de eius periculo moniti, præstò affuere, & omnia charitatis officia decumbenti morbo, & naturæ necessitati succumbenti officia detulere. Ex hoc hominum genere det Deus Viceprouinciæ quamplurimos, qui & proximorum charitate flagrent, & studio amplificandæ religionis teneantur.

VT fructus à Cosma penè in semine destitutos ad opratam frugem persequeretur, missus est alius Sacerdos, cuius opera vberes manipuli horreum Domini compleuere: sæpè enim baptismi sacramentum multis
simul

simul catechumenis ministratum est, inter quos præci-
 piti iam ætate senex, quasi modò genitus infans, caput sa-
 cro immerfit fonti, & iam de rebus diuinis tanto ardore
 animi sermones cum popularibus habet, vt priorem
 mentis obstinationem præsentì pietate abundè com-
 penset. Sed ad maturandam conuersionem ad Pastorem
 animarum I E S V M, vehementer impulerunt insula-
 norum animos atroces multorum interitus, qui saluta-
 ri Christi iugo colla subdere differebant. Ex his vnus
 tam acri correptus est morbi lue, vt paucis diebus exe-
 sis & in frustra discerptis tabi acrimonia membris, ante-
 quam baptismo lustrari posset, misero lethi genere ex-
 cesserit. Alius adèd truculentus, & saeuus, vt capite ple-
 teret assecias, & satellites, si viam per syluas patefa-
 cientes domino ramusculum imprudentes reliquissent,
 qui eum prætereuntem attingeret, aut caput submit-
 tere cogeret. Sæpius à Patribus de baptismo compella-
 tus fastidiosè respondit, sibi lumen in oculis, robur in
 manibus, & in pedibus agilitatem adhuc superesse,
 morte imminente se vtrò Patres accersiturum: is quo-
 que repentina morte sublatus, baptismi copiam non ha-
 buit. Eundem exitum habuit mulier, quæ tenera ætate
 filium baptismi aqua perfundi pertinaciter obstitit.
 Nobilis alius Indus propter magnum rerum vsum, & re-
 gendi dexteritatem, sibi apud Gentiles auctoritatem,
 apud Hispanos Toparchas charitatem pepererat, & ad
 baptismum sæpè sollicitatus, quò minus omnium voris
 obsequeretur, multitudine quas fouebat vxorum de-
 territus est. Exemplo tamen maioris natu filij, & alio-
 rum nobilium, qui vagam aspernati libidinem, ad fru-
 gem, & honestatem sese receperant, commotus ali-
 quantulum, facta obrizæ messe, audiendis Christianæ
 Religionis præceptis, daturum se operam diligentem
 pollicitur. est; sed interim à noxio, quem ad vincula
 perfer

perferre conatus erat, vno confossus vulnere, magno popularium dolore, extremum vitæ diem infelici morte confecit. Melior cuiusdam infantis recens in lucem editi fors, qui ab Ethnica matre, aut laniandus à feris, aut arenis postmodum obruendus inmani feritate desertus in littore, rem ad Patres deferente coquo, maturè baptismo lultratus, ad coelum euolauit. Nec est omittenda puerorum qui in hac sede educantur pietas, & Religionis amor, qui adeò patrias detestatur cærimonias, & ritus, vt vel ad ipsa supersticiosa cantica aures obturent, & in fugam præcipites auertantur.

SEDES DVLACANA.

DVO Sacerdotes, adhibito Fratre vno laico in partem laboris, oppida octo, quæ quinque non amplius leucarum spatio continentur, ardentes quidem proximorum amore, ac proferendæ Religionis ardore flagrant, ad Christi Domini imperium adiungere omni arte contendunt; lenitis, & ad humanitatem excultis incolarum animis, quos horrenda vitiorum monstra, & superstitionum portenta efferauerant. Multi passim ad Christi signa se conferunt. Nonnullis foedissimæ lepræ cõtatione deformatis, vel ardentissimæ febris æstu ad desperationem vitæ perductis aqua baptismi salutem corporis, cunctis admiratibus attulit. Nò desunt qui statis, ac præfinitis diebus cù pietate vsurpandis Sacramētis assuescant. Institutum puerorum seminarium, qui matura iam ætate in sua dispersi oppida, ea quæ apud nos didicerunt de Christiana religione populares edoceant; his alendis ex quingentis, obrizæ corbibus, quas nobis eleemosinæ nomine Hispani pariter, atque Indi donarunt, maior pars consumpta,

ne victus incommodo fessi, aut paternas domos indigni-
bundi repeterent, aut minori alacritate in studia Cate-
chesis incumberent. Peregrinis quoque Tagalis, atque
Visaliis qui huc annonæ causa ventilare consueverunt,
corporum, & animorum allata subsidia. Ex montana
præterea regione incommodam agri planitiem, quamvis
initio Toparchis renitentibus, plurimæ familiæ deductæ,
quibus excolendis noua sunt templa excitata.

SEDES PALANA.

MAGNA est Pali frequentia; quare pueris
qui quotidie ad perdiscenda diuinæ legis ini-
tia in templum coguntur, quatuor præfici ne-
cesse est, qui modulata voce reliquis præ-
eant. Validior ætas singulis diebus festis per classes di-
stributa docetur mysteria sacra: & constituti à Patre de-
curiones curam habent profectus, & frequentiæ cu-
iusque, desideratosque in ea exercitatione conquirunt.
Appetente Quadragesima sermonibus piis, & exemplis
veteris historiæ ad confessionem ritè obeundam, & nul-
lum in ea piaculum suppressendum moniti sunt, non sine
animorum vtilitate; nã cum sera nocte domũ à concione
rediissent terrore pleni, summo mane ad pacandum con-
fessione numen in templo apparébant. Inducta consue-
tudo se diuerberandi sexta quaq; feria, præmissa concio-
ne, qua docti sunt oppidani, supplicia voluntaria pro-
pitiandi Numinis causa esse fumenda. Quare sextam fe-
riam plerumque vocant indigenæ diem soluendi pecca-
ta. Singulis etiam noctibus oppidum omne Neophitus
aliquis obiens æris tinnitu, & voce ad commiserationem
accommodata, oppidanos hortatur, vt ad extremam
lu

luctam se comparent, & pia deprecatione infideles adiuuent, vt discussa ignorantiae nocte, Euangelij lumen aspiciant: eam verò vocem magno silentio, & attentione audiunt Neophiti, Dei que admonitionem appellant, & videtur Deus piorum precibus, & Sociorum conatibus volens atque propitius adesse: pauci enim in hoc territorio numerantur, qui nolint Christianam religionem amplecti. Neophiti verò, & catechumeni veteres superstitiones, quas semel deposuerunt, perpetua conterunt obliuione, timent que vehementer aliquid usurpare, quod deserta iam sacra redoleat. Duo pueri cum mater morbo langueret, obtinenda valetudinis maternae causa, cum gallinarum munere ad Sacerdotem inanum deorum pergebant; sed religione tacti inuicem compellati, Quò pergimus? (inquiunt!) itane verò nos Christi cultores veneficam consulamus, & muneribus pacabimus veteres Ammonitas? Abiecto ergo priore consilio, pedem retulerunt. Nec defuit Ethnicus, qui cum offendisset quosdam pueros in triuio terentes tempus, tempore quo ceteri aequales catechismo operam dabant, cessatores, & maleferiatos increpitans; Quin potius, inquit, ad perdiscenda properate, quae nobis natu grandioribus postea per otium tradatis. Maioris hebdomadae, & Paschaliū dierum caerimoniae, diuerberantium que sua corpora supplicatio, eò maiori hominum admiratione peracta, quò magis erant earum rerum ignari: quod ne saepius iteretur in reliquis Sedibus intelligi volumus.

 SEDES OGMV-
 GANA.



NVS hîc duntaxat Sacerdos commoratur, eodem animorum emolumento: sunt enim Ogmugani ad Christianam religionem valde propensi. Non est prætermittendum quanto studio Sacerdoti obsecuti sint: nam vt Ogmugium sedes & domicilia transferrent, à Patre rogati, terra ex qua ortum habebant, & agris, vnde magnas accipiebant vitæ commoditates, libenter, & promptè relictis, postulata fecere: quod in nobilibus eò pluris faciendum est, quò maiori rerum affluentia, & imperandi potestate vige-
 bant. Ex his vnus, qui Patrem, & eius monita superbe carpebat, tanta nunc animi submissione illi ad nutum obtemperat, vt iam non satis admiranti Patri, & sciscitanti, essetne idem, qui nuper eius dicta petulanti irrisione deludebat; responderit, se tunc perfidia, & errore occupato animo eius dicta cum ludibrio excussisse, sed iam his, quæ tunc dicebantur, habita fide, præsertim quòd experimento didicisset, eum esse Patrem, qui quas alijs præscribat leges, ipse primus obseruet, in id conatus suos referre omnes, vt Pater intelligat se quicquid illi vel tanquam vili mancipio præceperit libentissimo animo peracturum. Magnus propagandæ religionis ardor hunc Neophitum cœpit; nec enim satis duxit populares suos ad religionem impellere, & in officio ac fide continere, sed in remotiores vicos penetrauit, pluresque familias vno die ad oppidum, & ad fidem aggregavit, quàm multis ingenti laboris mole Pater aggregasset: cuius industriæ comitem habuit vxorem singulari
 probi

probitate foeminam, quæ ex sylvarum latibulis cognatos suos extraxit, instructosque apprimè catechese ad Patrem salutari tingendos aqua, inusitata lætitia perduxit, iisdemque Socijs adiunctis ceteram vagorum, & syluestrium turbam, nihil Patres, nisi animorum salutem, & veram hominum felicitatem querere docuit: ac tandem instando, & vrgendo precibus, ac monitis vt clausa saxorum asperitate, & densitate nemorum, montium iuga relinquerent, & in plano loco, vbi à Patribus iam semel lustrati sunt Vicayum oppidum conderent, Deo adiuvante peruicic. Excursum præterea est ad oppida, Polum, & Cauamocanum, vbi sunt duo templà Deo vero dicata. Poli centum & nonaginta quatuor baptismo eluti: Cauamocani septuaginta septem, non quòd cæteri à Christianis sacris abhorreant; sed quòd pluribus informandis tempus ademit Ogmuganæ Ecclesiæ solitudinem solandi necessitas. Cæterùm religionis Christianæ præceptis vini temperatiores euaserunt Neophiti, & prauam consuetudinem pepulerunt, qua receptum inter Barbaros erat, vt qui pecuniam alicui mutuam dedisset, ius in debitorem haberet, atque eius opera in seruilibus ministerijs vteretur, quoad pecuniam annumeraret, nec ratio vlla haberetur operæ, quamuis diuturnæ, quam debitor contulisset.

SEDES TINAGO.
NANA.



Nhac Sede, quæ in Insula Ibabas sita est, duo commorantur Sacerdotes, qui in plura oppida itinera magnæ utilitatis suscipiunt frequenter: victi Sociorû officijs Barbari, tantopere iam

eorum consuetudine delectantur, & quorum antea aspectum horrebant, & ut vitarent congressum, in densa nemora, & aujos montes fugam capescebant, iam nunc aduentum auidissimè præstolentur, & publica excipiant lætitia. Idolorum cultu prorsus abolito, ut commodius Neophiti, & baptismi candidati ad Christianam pietatem excolantur, in societatem ciuilem vitæ, qui sparsis habitant domicilijs, omni contentione Patrum, & Caziziorum congregantur, & templa in oppidis diligētissimè struuntur. Insignis, & commemoratione digna extitit nobilis cuiusdam Gundisalui industria, qui à popularibus filios e blanditus est, eosque magno numero apud se habet, & tanta dexteritate ad officium, & religionē informat, ut eos ad humanitatem & facilitatem morum, & quod caput est, ad magnam rerum diuinarum cognitionem adduxerit: & apud pueros eorumque parentes singularem sui nominis claritatem cum auctoritate coniunctam comparauerit: quare Toparchus cum eius industriam mirificis laudibus extulit, tum etiam illum à vectigali fecit immunem.

SEDES CATVBINA.

RASSATA hoc anno in hac Sede superiori contermina morbi contagio, Sacerdoti, & Fratri Coadiutori in ea commorantibus vberem attulit segetem meritorum, & ut mala corporum solent esse animis salutaria, barbarorum animos terrore mortis ante oculos obuersante, ad vitales baptismi aquas adegit, ut quando corpora à necessitate mortis liberare non poterant, animos in regione viuentium collocarent. Quare multi quos morbus inuaserat,
e tñ

et si non satis instructi catechesi, ne periculum in mora esset, opportunè baptizati, valentes tamen confirmatæ ætatis baptizati plures centenis. Vetula quædam tenacissima earum superstitionum, quas rudibus annis perceperat, à Fratrem nostro morti propinqua, de baptismo cõpellata, tandem respondit, se potius æternas, quæ memorabantur, damnatorum poenas perpeffuram, quàm vt aqua baptismi suum caput aspergi pateretur: mox linquente animo ac sensibus obriguit: Frater infelicem mulieris sortem miseratus, & commotus Ethnicorum sermonibus, qui pollicebantur Christo se omnes nomen daturus, si mulier reuiuisceret, bullam sanctorum reliquijs ornatam in pectore posuit, affirmans si Sanctorum precibus, quorum cineres in ea bulla claudebantur, vitalis calor, & linguæ vsus, vt ipse confidebat, mulieri rediisset, nihil prius ore prolaturam, quàm baptismum efflagitaret: præntentioni & fidei nostri Fratris respõdit euentus; nam vetula non solùm baptismum petijt, & accepit, sed morbo leuata, solo virium languore ne die sequenti è lecto surgeret impedita est. Iuuenis quoque grauitè ægrotans Neophitos & sacerdotem, Deum rerum conditorem, & corporis atque animi creatorem nuntiantes, irrisit, adiungens sibi non fuisse præter parentes alium vitæ auctorem: sed tamen Deo adiuuante, cum dubia eius diluisset Sacerdos, manus dedit, & baptismum postulauit, & postera die baptismo renatus morbum depulit, nec multò post vires omnino recepit. In promontorio S. Spiritus iuuenè alium in Zebuana sede baptizatum inuenit Sacerdos, qui ardore febris vrebatur, & illi ex naribus nunquamistente fluxu sanguis manabat: deficiente ergo venarum pulsu sacro vnctus est oleo, quo remedio sanguinis fluxus repressus est, & die sequenti meridiana febris leuatus in lecto confedit. In Agraguani oppido baptismi aqua, & Euangelij verbis complures moribundi conualuerunt.

In insula Mindanao priore anno versatus Sacerdos cum comite laico, milites, qui belli sub auspicijs Stephani Roderici suscepti reliquias persequebantur, in officio, & fide continuit, nec solum animis omni arte consuluit, sed corporum etiam incommodis subuenit: corrogatis quippe precario numeris, multorum egestates, præsertim eorum qui salua existimatione stipem quærere non poterant, diligenter expleuit: itaque frequens, & constans sermo inter milites erat, multas vitæ molestias pauperes perpeffuros, si Socij castris eo tempore defuissent. Ex barbaris quoque insulæ indigenis, abiecto quem à maioribus acceperant deorû cultu, Christiana sacra complexi sunt, & baptismo renati plures octoginta.

Finis Litterarum anni 1599.

**LAVS DEO, ET B. VIRGINI
Matri.**